3

XXII-1-3

R. 605

# PHARMACOPOEA HAGIENSIS

COMMUNI

# COLLEGII MEDICI

EJUSDEM LOCI

*OPERA*

ADORNATA.

COLEGIO DE FARMACÉUTICOS DE MADRID



*HAGÆ COMITUM.*

Apud JOANNEM TONGERLOO.

cIↄ Iↄ CLIX.

*Nobiliſſimis, Ampliſſimis, Spectatiſſimiſque Viris,*

# D. D.

## Prætori, Conſulibus, Scabinis, reliquoque Senatui

## HAGÆ-COMITANO.

QUod felix fauſtumque ſit Civitati veſtræ N. A. viri, pharmacopolia vobis, judicio noſtro ritè ſtructa, damus; bono publico intenti: idque ſerio labore agentes, ut conſiliorum noſtrorum

 pro-

promi-condi, civium bonorum utilis & neceſſaria pars, tutiùs certiuſque in poſterum munere ſuo fungantur. Urgent nos rationes innumeræ, ut in lucem demus: cogit humanitatis veſtræ erga bona ſtudia, officiique noſtri memoria, ut patrocinio veſtro ſubjiciamus filium hunc, qui, benignis parentibus natus, tutelam veſtram amplectitur. Si placet fœtus, ſub Ciconiæ veſtræ alis ſecurus prodeat, Altores ſuos agniturus memori animo. Non eum vobis offerimus, qui oneri futurus ſit; pallores, morbos, peſtes averruncare nitimur. Pharmacopœis veſtris certum agendorum

dorum ordinem ſtatuimus: ne poſthac, in componendis medicamentis, incerti, inſtabiles, diſcordes fluctuent. Nobis ipſis medicinam noſtram, ſordidi, inſcii, turpilucricupidi cujuſlibet malitiæ expoſitam, certâ rectæ rationis anchorâ firmamus.

Vos quâ ſoletis benevolentiâ Clientum veſtrorum operam ſuſcipite, fovete, protegite. Sic dum Civium animos æquitate, & juſtitia moderamini; dum nos corporum eorum ſanitati ſedulâ curâ ſtudemus; dum Æſculapii templa Ciconia veſtra à noxiorum ſerpentum ſordibus, à maligno acrium viperarum veneno luſtrat; mens ſana

in corpore ſano utrobique vigeat, Zelique veſtri benignitas longævâ felicitate præfulgeat poſteris. Quod obnixè, & ex animo vovemus

*Collegii veſtri Medici.*

Bene-

# Benevolis libelli hujus Lectoribus S.

*QVi auſpicatè opus aliquod aggreſſuri, idemque feliciter ad optatum finem perducturi ſunt, lectores benevoli; de mediis, ſcopo ſuo aſſequendo neceſſariis, ſeriò ſibi cogitandum eſſe non ignorant: ut ſcilicet tam ſingula ſeorſim, quam conjunctim omnia, animo præconcepta, conquirant diligenter; conquiſita deinceps opportunè conferant in uſum. Inter complures circa hæc mentis humanæ curas, non exilis momenti illa eſt, quæ ritè moderandæ valetudini impendenda venit. Ea enim uti proſpera exiſtens nulli non gratiſſima eſt; ita in horas mutabilis, levique de cauſſa nutans, labans, adverſa obveniens, ad debitam ſibi tutelam fomenta continua requirit; manu ſubinde opus*

*habet,*

*habet ; medicamentis non raro indiget : quorum omnium ope atque adminiculo bona ſervari ſarta tecta, labaſcens firmari, adeoque jam deperdita corporis ſanitas reſtitui in integrum, ſi poteſt, debet. Ordinaria vitæ fomenta paßim ferè obvia, & domeſtica ſunt, prudenter licet uſurpanda. Auxiliarem manum imploranti alteri Chirurgus commodat. Medicamenta autem, in omnem eventum, ut adſint præſtò, nec è longinquo petenda deſiderentur, poſtulante illa neceßitate, pharmacopolia ut ſuppeditent, ab omni ferè ævo uſus obtinuit ; ſimplicibus à natura datis ; compoſitis, ab arte & induſtriâ humanâ inventis introductiſque luculenter inſtructa. Horum apparatus quanquam miniſtris demandatur, illorumque fidei committitur ; formandorum tamen ſtruendorumque ratio univerſa ad medicum ipſum, tanquam verum illorum architectum, ſpectat propriè. Cui id ſollicitè procurandum incumbit, requiſita ritè faciendis officiis ſuis inſtrumenta præſentia, parataque ut habeat;*

*ex*

*ex ſeſe ipſis efficacia; à veſtigatrice omnium ratione ſolerter inventa, uſuque multo & experimentis ſtabilita: ac numero ſuo inſuper ita muneribus medicis exſequendis paria, ut nec onerosâ gravent multitudine, nec defectu ſui, & inopiâ, in ipſo opere deſtituant jam occupatum, optatique ſucceſſus ſpe fruſtrentur.*

*Quæ equidem cura uti viros celeberrimos complures antehac exercuit: ſic & nos quoque (abſit jactantia dicto) aliquamdiu habuit ſollicitos: qui quemadmodum illos optime ſibi conſuluiſſe judicamus, dum ſua conſtituerunt, ſibi uſui futura: ita noſtri quoque muneris eſſe arbitrati ſumus, nobis in poſterum ſervitura ad rationis propriæ libellam trutinanda appendere; ad juſtum judicii examen producere recenſenda, eum in finem: ut ex animi noſtri ſententiâ congeſta, pro ignotis cognita haberemus, pro incertis certa. Animadvertimus nimirum, compluribus jam ſubinde prodeuntibus adornandarum officinarum methodis, & ſyn-*

*tagmatis, fluctuantes Pharmacopœorum noſtrorum animos, in qualicunque horum inſpectorum varietate, ac diſcrepantia; aut quò ſe vertant, quidve cui anteferant dubios hærere; aut ex arbitrio ſuo, inconſultis nobis, agenda ſeligentes, pro antehac familiaribus nunc incerta, & minùs nobis cognita porrigere. Cui rei, ne non animadverſa incogitantes nos medicinam concivibus noſtris facturos, in errores, indeque ſubnaſcentia incommoda, ac pericula abduceret, obviam eundum eſſe neceſſarium duximus: certos ipſis limites ſtatuendo; intra quos & continere ſeſe poſſent; & nihilominus officio ſuo ſatisfacere; nobiſque tutò artis munia obituris, fidelem operam locare. Complurium hoc ex illis deſiderium fuit, & votum ſæpiùs expetitum: de quibus proinde non dubitamus, quin gratis animis qualemcunque hanc opellam noſtram excepturi ſint; nullo cuiquam contradicendi fervore; nullo alienis noſtra hæc præferendi ſtudio; ſed ſolâ tam publici incolarum loci hujus boni, quàm*

com-

*communis, & noſtri, & pharmacopœorum noſtrorum commodi promovendi gratiâ ſuſceptam. Quod poſtquam ſemel, tribus hiſce verbis, palam & candidè teſtati ſumus; finem facientes, avere vos jubemus inſpectores optimi: & quorumcunque ita collibitum fuerit animo, præſentibus hiſce uti, ac frui libentes permittimus.*

*Quotquot ſumus Hagæ-comitum Medici, in corpus unum, & collegium ſociati.*

IN

# IN PHARMACOPOEAM HAGIENSEM

*Communi Collegii Medici ejuſdem loci operâ adornatam.*

NE ſimplex ne compoſitum, ne pharmaca deſint
  Parata rite, quæ tuis ægris opem
Haga ferant, iſtam Medicorum cura tuorum
  Inſtruxit aciem: tu deeſſe muneri
Pharmacopœe cave, ſi res tibi propria cordi &
  Honos medentum eſt & laborantum ſalus.
Sic lucrum facies. ægrum ſervare labora:
  Medicina non fit mortuis. morbos ama
Unde calent ollæ: nullum eſt à funere lucrum.
  Amet hoc avarus præſbyter, cui focus
Fumat ab interitu. qui morbum evaſit & Orcum
  Decumbet iterum: nulla pharmacopoliis
Eſt à morte ſeges. cum ſumma ſupervenit hora
  Quæ claudit oculos, clauditur loculus tibi.

J. WESTERBAEN.

# IN
# PHARMACOPOEAM
## HAGIENSEM,
*Ab ejus loci Collegio Medico conſtructam.*

VIdit ab Eoö delatas ſydere merces;
  Vidit ab Occiduo pharmaca miſſa ſolo:
Quaſque Pater Neptunus opes è gurgite vaſto,
  Quaſque almo fundit Terra benigna ſinu:
Hæc ſuper immenſos Arabumq; Italûmque labores,
  Undique congeſtam vidit Apollo ſtruem.
Vidit, & obſtupuit: noſtróne ita nempe Galeno
  Quilibet inſultas, inquiit, immerito?
Ille triumphatæ pandebat viſcera terræ;
  Oceano abſtruſas ille docebat opes.
Non poterat tanto Medicina quieſcere acervo?
  Quod Febrem ejiceret tum quoq; numquid erat?
Non te Terra parens ſatiat, non æquoris undæ:
  In numeros veniunt cuncta Elementa tuos.
Omnia conſumit, tibi pharmaca parturit, Ignis;
  Pharmaca, quæ metâ, quæ numeroque carent.
Ergo, quæ numerum poſuit Natura malorum,
  Auxiliis nequeat conſtituiſſe modum?
Deſine inexhauſtos arti accumulare labores;
  Deſine tam vaſtum conglomerare chaos.
Dixit, & aſſurgunt Itali, Gallique ſequuntur;
  Oſtentat Batavos nobilis Haga ſuos.
Quos verè Medicos magnus devinxit Apollo,

Concordi arripiunt, quæ decet, arma manu.
Ac velut hortorum cultor præcidere ramos
Aſſolet, & nimii prægrave floris onus;
Excutiunt alacres, vario quæ fine medentûm
Ardor in immenſum conſociavit opus.
Quæ Latium, longâ ſtruxit quæ Græcia curâ;
Quæ cudit notæ ſedulitatis Arabs;
Quæ Germanorum ſollers induſtria lêgit;
Cribrat in exilem nobilis Haga librum.
Plaudite, queis cordi ſunt tam concordia corda.
Eſt aliquid tantum depoſuiſſe chaos.

D. L.

Spectatiſſ. Prudentiſſimique

# SENATUS HAGIENSIS,

*Decretum de Libri hujus editione.*

CUm Pharmacopœa Hagienſis hæc communi Collegii medici hujus loci operâ adornata, conjunctiſque complurium laboribus in corpus unum congeſta ſit, eum in finem, ut medicamentis inſtructæ habeantur officinæ Pharmaceuticæ certis, probè cognitis, uſuq; ita poſtulante præſentibus : eandemq; ob cauſſam ſenatui illa oblata ſit Pharmacopæis commendanda : neceſſarium viſum fuit omnibus & ſingulis civitatis hujus Pharmaceuticæ ſocietatis collegis injungere, & mandare : ut ad libri hujus præſcriptum, & ſtatuta eidem Societati Pharmaceuticæ articulis quibuſdam, ſub ſigillo D. D. Conſulum Anno 1659. conſignata officinas ſuas in poſterum inſtaurent ; itaque formatas boni publici promovendi gratia fideliter conſervent. Qūod per præſentes haſce litteras omnibus, ad quos id aliquando ſpectaturum eſt, ut innoteſceret, Senatus idem voluit. In cujus rei teſtimonium familiare hoc manus meæ ſignaculum illius juſſu die xv. Martii Anno 1659. appoſui.

G. GRASWINKEL.

Spectatiſſ. Prudentiſſimique

# SENATUS HAGIENSIS,

*Decretum de Libri hujus editione.*

CUm Pharmacopœa Hagienſis hæc commu-ni Collegii medici hujus loci operâ adorna-ta, conſtantiſſimiſque conſiliis & laboribus in corpus unum congeſta ſit, cum in ſingulis ejus me-dicamentis inſtructæ habeantur officinæ Pharma-ceuticæ certis, probè cognitis, unde, ita poſtu-lante præſentibus: easdemque ob cauſam ſenatui illi oblata ſit Pharmacopœis commendanda: ne-ceſſarium viſum fuit omnibus & ſingulis civitatis hujus Pharmaceuticæ ſocietatis collegis injungere, & mandare ut ad libri hujus præſcriptum, & ſta-tuta eidem ſocietati Pharmaceuticæ articulis qui-buſdam, ſub ſigillo D. D. Conſulum Anno 1 6 5 9. conſignata officinas ſuas in poſterum inſtituerent; itaque formatas boni publici pro-movendi gratiâ fideliter conſervent. Quod per præſentes hasce litteras omnibus, ad quos id ali-quando ſpectaturum eſt, ut innoteſceret, Sena-tus idem voluit. In cujus rei teſtimonium fami-liare hoc manus meæ ſignaculum illius juſſu die xv. Martii Anno 1 6 5 9. appoſui.

C. GRASWINKEL.

# PHARMACOPOEA HAGIENSIS.

## SECTIO PRIMA

## De Medicamentis Simplicibus in officinis aſſervandis.

### RADICES.

Acori, *ſeu* Calami aromatici officinarum.
Alcannæ.
Altheæ.
Angelicæ.
Apii.
Ariſtolochiæ longæ.
rotundæ.
tenuis.
fabaceæ.
cavæ.
Ari.
Aſari.
Aſparagi.
Biſtortæ.
Bryoniæ.
Caryophyllatæ.
Chelidony.
Chynæ.
Cichorei.
Conſolidæ majoris.
Contra-yervæ.
Coſti.
Cucumeris aſinini.
Curcumæ.
Cyclaminis.
Cynogloſſi.
Cyperi longi.
rotundi.
Dictamni albæ.
Doronici Romani.
Ebuli.
Eryngii.
Eſulæ.
Fæniculi.
Filicis.
Galangæ.

Gentianæ.
Glycyrrhizæ.
Graminis.
Helenii.
Hellebori albi.
nigri.
Hermodactylorum.
Jalappæ.
Imperatoriæ *ſeu* Oſtrutii.
Iridis Florentinæ.
Mandragoræ.
Mechoacannæ.
Meü.
Nymphææ.
Ononidis.
Osmundæ Regalis.
Pæoniæ.
Pentaphylli.
Petaſitidis.
Petroſelini.
Phu, *ſeu* Valerianæ.
Polypodii querni.
Pyrethri.
Rhabarbari.
Rhapontici.
Rubiæ tinctorum.
Ruſci.
Saxifragiæ.
Scorzoneræ.
Scilla.
Spica nardi Celtica.
Indica.
Tormentillæ.
Turbith.
Tuſſilaginis.
Zarzæ parillæ.
Zedoariæ.
Zingiberis.

### Fungi.

Agaricus.
Auriculæ Judæ.
Orbicularis.

### Cortices.

Arantiorum.
Caſſia lignea.
Cinamomum.
Citriorum.
Cupulæ glandium.
Granatorum.
Ligni Guajaci.
Macis.
Radicum Capparum.
Tamariſci.

Lig.

LIGNA.

Aloes.
Aſpalathum.
Guajacum.
Nephriticum.
Rhodium.
Santalum album.
citrinum.
rubrum.
Saſſafras.
Viſci quercini.

FOLIA,
&
HERBÆ.

Abrotani Maris.
Abſinthii Vulgaris.
Romani.
Adianthi albi &
nigri.
Agrimoniæ.
Alchimillæ.
Altheæ.
Anethi ſummitates.
Arthemiſiæ.
Betonicæ.
Botryos.
Calaminthæ.
Capilli veneris.
Cardui benedicti.
Centaurii minoris.
Ceterach.
Chamædryos.
Chamæ pityos.
Cuſcutæ cum floribus.
Dictamni Creticæ.
Epithymi.
Equiſeti.
Eryſimi.
Eupatorii cannabini.
Euphraſiæ cum floribus.
Fumariæ.
Hyperici ſummitates.
Hyſſopi.
Lavendulæ.
Lauri.
Majoranæ.
Malabathrum.
Malvæ.
Marrubii, *ſeu* Praſſii.
Matricariæ.
Meliſſæ.
Menthæ Sativæ.
Sylveſtris.
Mercurialis.
Nepethæ.

Origani Cretici.
vulgaris.
Parietariæ.
Phyllitidis, *ſeu* Linguæ cervinæ.
Piloſellæ.
Pimpinellæ.
Poly montani.
Polygoni.
Polytrichi *ſeu* Trichomanis.
Pulegii.
Pulmonariæ.
Pyrolæ.
Quercus.
Roriſmarini.
Rutæ.
Rutæ murariæ.
Sabinæ.
Saluiæ.
Saniculæ.
Satureiæ.
Scabioſæ.
Scordii.
Senæ.
Serpylli.
Thymi cum floribus.
Tuſſilaginis.
Verbaſci.
Verbenæ.
Veronicæ.
Virgæ aureæ.

FLORES.

Balauſtia.
Betonicæ.
Borraginis.
Bugloſſi.
Calendulæ.
Caryophylleus.
Chamęmeli Romani.
vulgaris.
Croci.
Lavendulæ.
Liliorum convallium.
Maluæ arboreæ.
Nymphęæ albæ.
Pæoniæ.
Papaveris erratici.
Roriſmarini.
Roſarum rubrarum.
Sambuci.
Schænanthum.
Stæchados.
Tiliæ.
Verbaſci.
Violarum.

## Semina.

Acetoſæ.
Agni caſti.
Altheę.
Ammios.
Amomi.
Anethi.
Aniſi.
Apii.
Aquilegiæ.
Aſparagi.
Bardanæ.
Berberis.
Bombacis.
Buniadis.
Cardamomi minoris.
Cardui benedicti.
Carui.
Caulium.
Ciceres rubri.
Citri.
Citrulli.
Cnici *ſeu* Carthami.
Coriandri.
Cubebæ.
Cucumeris.
Cucurbitæ.
Cumini.
Cydoniorum.
Dactylorum oſſa.
Dauci Cretici.
vulgaris.
Endiviæ.
Erucæ.
Foeniculi.
Foenugræci.
Fumariæ.
Geniſtæ.
Grana Paradiſi.
Hordeum mundatum.
Hyperici.
Hyoſcyami albi.
Lactucæ.
Leviſtici.
Lini.
Lupini.
Maluæ.
Melonum.
Milii ſolis.
Napi.
Naſturty.
Nigellæ.
Nuclei Perſicorum.
Ceraſorum.
Ocymi.
Orobi.
Pæoniæ.

Papaveris albi.
nigri.
Petroſelini Macedonici.
vulgaris,
Plantaginis.
Portulacæ.
Pſyllii.
Roſarum rubrarum.
Rutæ.
Santonici.
Saxifragiæ.
Scariolæ.
Seſelios Maſſilienſis.
Sileris Montani.
Sinapi Utriuſque.
Sophiæ.
Staphidos agriæ.
Sumach.
Thlaſpios.
Violarum.
Urticæ.

FRUCTUS.

Alkekengi, *ſeu* Halicacabi.
Amygdalæ amaræ.
dulces,
Baccæ Juniperi.
Lauri.
Myrti.
Sambuci.
Berberis.
Capita papaveris.
Carpobalſamum.
Caryophylli.
Caſſia fiſtularis.
Colocynthis.
Dactyli.
Gallæ.
Glandes.
Jnjubæ.
Kermes grana, *ſeu* coccus Baphica.
Myrobalani bellirici.
Chebuli.
Citrini.
Emblici.
Indi
Nuces cupreſſi.
Moſchatæ.
Piſtachiæ.
Vomicæ.
Nuclei Pinei.
Piper album.
longum.
nigrum.

Sebeſten.
Siliquæ dulces.
Tamarindi.

### FARINÆ.

Amylum.
Fabarum.
Fæni-græci.
Hordei.
Lupinorum.
Seminis lini.

### SUCCI LIQUIDI.

Cydoniorum.
Granatorum acidorum.
Limonum.
Omphacium.
Infuſio Roſarum
Pallidarum.
& Rubrarum.

### SUCCI CONDENSATI, GUMMI, & RESINÆ.

Acacia vera.
Aloe.
Ammoniacum.
Aſſa Foetida.
Balſamum Peruvianum.
Bdellium.
Benzoinum.
Bitumen.
Caphura.
Colophonia.
Elaterium.
Eupatorii aquatici ſuccus.
Euphorbium.
Galbanum.
Ghitta jemou, *ſeu*
Gutta Gamba.
Glycyrrhyzæ ſuccus.
Gummi Arabicum.
Caranna.
Ceraſorum.
Elemni.
Juniperinum.
Tacamahaca.
Hypocyſtidis ſuccus.
Lacca.
Ladanum.
Manna.
Maſtix.
Myrrha.
Opium.
Opopanax.
Pix.

Re-

Reſina Abietina.
Laricea.
Pini.
Terebinthina.
Sagapenum.
Sanguis Draconis.
Sarcocolla.
Scammonium.
Styrax calamita.
liquida.
Succinum album.
citrinum.
nigrum.
Tartarum vini albi.
Thus.
Tragacantha.

ANIMALIA,

EORUM PARTES,

&

EXCREMENTA.

Adeps Anſeris.
Canis.
Cerui.
Felis.
Bezoar Occidentalis.
Orientalis.

Cancrorum fluviatilium oculi.
Cantharides.
Caſtoreum.
Cera alba.
flava.
Cornu Cerui.
Cranium Humanum.
Ebur.
Ichthyocolla.
Mel.
Moſchus.
Mumia.
Os è Corde Cerui.
Sanguiſugæ.
Scincus.
Sevum Caprinum.
Hircinum.
Sperma Cæti.
Spodium ex ebore.
Ungula Alcis.
Zibethum.

MINERALIA.

METALLA,

&

LAPIDES.

Ala-

Alabaſtrum.
Ærugo.
Æs uſtum.
Alumen plumeum.
uſtum.
rupeum.
Antimonium.
Argentum foliaceum.
Argentum vivum.
Arſenicum.
Auripigmentum.
Aurum foliaceum.
Bolus Armenus.
vulgaris.
Borax.
Calx viva.
Cerusſa.
Chalcitis.
Chalybs.
Cinnabaris.
Cryſtallus.
Lapis Armenus.
calaminaris.
hæmatites.
lazuli.
Lithargyrum argenti.
auri.
Minium.
Plumbum uſtum.
Pompholyx.
Sal Armoniacum.
gemmæ.
Petræ, *ſeu* nitrum.
Sulphur.
Terra Lemnia.
Tuthia.
Vitriolum album.
Hungaricum.
Romanum.
Vitrum Antimonii.

MARINA.

Ambra griſea.
Coralium album.
rubrum.
Corallina.
Margaritæ.
Pumex.
Spongia.

# Nuncupationum quarundam plura uno titulo complectentium explicatio.

QUINQVE RADICES APERIENTES.

Apii.
Aſparagi.
Fœniculi.
Petroſelini.
Ruſci.

QUINQVE HERBÆ EMOLLIENTES.

Althæa.
Malua.
Mercurialis.
Parietaria.
Violaria.

QUINQVE HERBÆ CAPILLARES.

Capillus Veneris.
Phyllitis, *ſeu* Lingua cervina.
Salvia vitæ, *ſeu* Ruta muraria.
Ceterach, *ſeu* Scolopendrium.
Polytrichum, *ſeu* Trichomanes.

QUATUOR FLORES CORDIALES.

Borraginis.
Bugloſſæ.
Roſarum.
Violarum.

QVA-

## Quatuor Semina Calida majora.

Aniſi.
Cardamomi.
Cumini.
Fœniculi.

## Quatuor Semina Calida minora.

Ammeos.
Apii.
Carui.
Dauci.

## Quatuor Semina Frigida majora.

Citrulli.
Cucumeris.
Cucurbitæ.
Melonum.

## Quatuor Semina Frigida minora.

Cichorei.
Endiviæ.
Lactucæ.
Portulacæ.

# PONDERA MEDICA
## NOSTRA SUNT.

Granum, quod minimum eſt, & momentum illud, quo Aurifabri, omneſque Nummularii utuntur, **een Aes /** noſtro Idiomate nuncupatum, ſic autem notatur.

Granum *ſive* momentum gr. j. *ſeu* mo. 1.

Obolus *ſeu* ſcrupulus ſemis. ℈ß. pendet gr. xij.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Scrupulus | notatur | ℈j | pendet | gr. xxiiij. |
| Drachma | notatur | ʒj | pendet | ℈ iij. |
| Semuncia | notatur | ℥ß | pendet | ʒ iiij. |
| Uncia | notatur | ℥j | pendet | ʒ viij. |
| Selibra | notatur | lib: ß | pendet | ℥ vj. |
| Libra | notatur | lib: j. | pendet | ℥ xij. |
| Seſquilibra | notatur | lib: jß | pendet | ℥ xviij. |

## MENSURÆ.

Manipulus ſic notatur, Mj. quantum manu conſtrictiore comprehendi poteſt.

Pugillus, Pj. quantum tribus digitis capi poteſt.

Pinta noſtra continet uncias viginti.

SEQUEN-

# SEQVENTIA
## hoc modo intelligi debent.

| | | |
|---|---|---|
| N°. | | numero. |
| Par. | | paria. |
| āā | | ana, ſive ſingulorum æqualis quantitas. |
| P. Æ. | | partes æquales. |
| Q. S. | id eſt | quantum ſufficit. |
| S. Q. | | ſufficiens quantitas. |
| S. A. | | ſecundem artem. |
| Q. V. | | quantum vis. |
| Q. P | | quantum placet. |
| S. S. S. | | ſtratum ſuper ſtratum. |
| B. M. | | Balneum Mariæ, *vel* Maris. |
| M. F | | Miſce Fiat. |

## De Collectione Simplicium.

Radices evellantur inclinante vere, aut æſtatis initio, poſt primorum foliorum eruptionem; tunc enim ſucco probè concocto turgent, & crudi excrementitiique humoris quam minimum habent: Hujus autem perfectionis & maturitatis ſignum eſt, quando nec nimis molles, humidæque ſunt, nec nimis duræ & Lignoſæ. Eruuntur autem aëre ſereno, & in plenilunio. Excipiunt aliqui radicem Pæoniæ maris, quam in declinatione lunæ evelli volunt.

Herbæ, colligendæ ſunt quando folia magnitudine, colore & odore vigent, præſertim quæ cacumini ſunt propiora, ut Abſynthium omne, idque cœlo ſicco & ſereno, atque tempore meridiano.

Flores decerpendi ſunt in vigore ſuæ maturitatis, non dehiſcentes, aut decidui; flores verò Roſarum ante apertionem avellendi ſunt pro conſervâ conficiendâ.

Fructus priuſquàm decerpantur, probè maturi ſint oportet; niſi datâ operâ immaturi expetantur, uti Meſpila, Sorbi, &c. Deinde exſiccentur in Aëre, vel Sole, & ſi opus ſit, in clibano, poſt panis extractionem: quod ſi unâ vice exſiccati non ſint, poſtridie denuo immittantur.

Semina colligenda quando ſunt matura, & fructus quibus includuntur etiam maturi; & in loco ſicco, non calido ad uſum reponantur.

Cortices colliguntur quando arbores in pleno vigore ſunt: Craſſiores manu avellantur ſi læviter adhæreant, ſin autem tenaciùs, ferro abſcindantur, tenues vero & Membranoſi, ut Sambuci, Fraxini &c. cultello abradantur.

# SECTIO SECUNDA.

## De Aquis et Acetis.

### Aquæ Stillatitiæ Simplices.

| | |
|---|---|
| Betonicæ. | Mellis. |
| Cardui benedicti. | Petroſelini. |
| Ceraſorum nigrorum. | Plantaginis. |
| Chelidonii. | Pulegii. |
| Cichorei. | Roſarum. |
| Cochleariæ. | Rutæ. |
| Fæniculi. | Salviæ. |
| Florum fabarum. | Sambuci ex floribus. |
| Lavendulæ. | Spermatis Ranarum. |
| Liliorum convallium. | Spiritus vini rectificatus. |
| Meliſſæ. | Tiliæ ex floribus. |

Singulæ Herbæ ſucculentiores, ut ſunt *Chelidonium*, *Cichoreum*, & *Plantago*, in pilâ marmoreâ piſtillo ligneo ritè contundantur, ac per biduum in proprio ſucco macerentur, deinde per ſe deſtillentur ſine ullâ humiditatis additione, idque in vaſe ſtanneo, aut æneo ſtanno incruſtato, impoſito alembico aut capitello ſtanneo.

Herbæ verò non adeo ſucculentæ, quales ſunt *Lavendula*, *Salvia*, *Pulegium*, leviter exſiccatæ macerentur per octiduum, ſuperfuſis ſingulis herba-

rum

rum libris aquæ puriſſimæ libras quinque. dein per refrigeratorium moderato igne deſtillentur, ne Empyreuma contrahant.

Herbæ autem mediæ qualitatis, ut *Betonica, Carduus Benedictus*, *Fœniculum*, *Meliſſa*, *Petroſelinum*, *Ruta*, poſt Unciarum trium aquæ puriſſimæ ad ſingulas libras herbarum affuſionem, & debitam macerationem ex veſica ſtanneâ, aut æneâ ſtanno bene incruſtatâ, per capitellum ſtanneum deſtillentur.

Eodem modo deſtillentur, *Flores Fabarum*, *Liliorum Convallium*, *Roſarum*, *Sambuci*, *Tiliæ*.

Reliqua, quæ validum ignis calorem ſuſtinere nequeunt, ut ſunt

Cerasa Nigra,
Cochlearia,
Sperma Ranarum,

Per ſe S. A. *in Balneo Mariæ*, ex Alembico vitreo deſtillentur.

## Spiritus Vini Rectificatus.

Fiat ex Spiritu vini optimo, repetitâ tertiò in Balneo Mariæ per Alembicum vitreum deſtillatione.

## Aqva Mellis.

℞. Mellis q. ſ.

*Vt repleatur decima pars cucurbitæ amplæ, terreæ, vel vitreæ cum Alembico vitreo; & in Balneo bulliente deſtilletur Phlegma, ſeu Aqua Mellis. Cum autem guttæ incipient aceſcere, vaſe arenæ impoſito & igne aucto, liquor ſecundus & tertius extrahantur.*

# AQVÆ COMPOSITÆ.

## Aqva Antepileptica.

℞. Florum Lilii convallium manipulox ſex.
Tiliæ manipulos tres.

*Infundantur in libris ſex vini Cretici, aut moſcatellini, aut alius generoſi in eoque per dies quinque vel ſex infuſi permaneant; mox deſtillentur in Balneo, deinde.*

℞. Florum Lavendulæ vnciam vnam.
Roriſmarini,
Stœchados,
Viſci quercini,
Rad. pæoniæ Maris,
Dictamni albæ,
Nucis moſchatæ ana vnciam mediam.

Cinamo-

Cinamoni electi drachmas ſex.
Piperis longi }
Cubebarum } ana drachmas duas.
Schœnanthi drachmam vnam.

*Omnia craſſiuſculé trita rurſum in ſuperiore vino ſtillatitio per dies octo macerentur loco aprico; poſtea deſtillentur, ut anté.*

## AQVA *ſeu* SPIRITVS ANTI-SCORBUTICUS.

℞. Radicum raphani Sylveſtris vncias tres.
Herbarum Acetoſæ,
Naſturty aquatici,
Becabungæ ana manipulos tres.
Trifolii aquatici,
Cochleariæ,
Fumariæ ana manipulos duos.
Semperuivi tertii manipulum vnum.
Mala citria numero tria.

*Radices & Herbæ contuſæ, & citria in orbiculos conciſa infundantur per horas viginti quatuor in ſpiritus vini libris ſeptem. poſtea* S. A. *deſtillentur.*

## AQVA CINAMOMI.

℞. Cinamomi electi contuſi libram vnam & mediam.

Aquæ Roſarum libras quatuor.
Vini albi libras duas.

*Deſtillentur S. A. in B. M. Quamdiu aqua Lacteum colorem ſervaverit.*

## Aqua Hysterica.

℞. Radicum Ariſtolochiæ rotundæ,
Bryoniæ,
Gentianæ,
Baccarum Sambuci maturarum lento furni calore exſiccatarum, & à ſtipitibus mundatarum,
Corticum Aurantiorum exteriorum, ana Unciam unam.
Herbarum Arthemiſiæ,
Pulegii,
Rutæ,
Matricariæ,
Nepetæ,
Satureiæ,
Hyſſopi,
Balſamitæ, ſive menthæ Sylveſtris, ana pug. tres.
Dictamni Creticæ,
Sabinæ ana manipulum medium.

Myr-

Myrrhæ,
Caſtorei, ana Drachmas duas.
Croci orientalis Drachmam unam & mediam.

*Craſſiuſculè trita macerentur per octiduum in ſpiritus vini libris quatuor. Colatura in vitro bene clauſo ſervetur ad uſum.*

## AQVA VITÆ COMPOSITA.

℞. Cinamomi electi Uncias duas.
Corticum citri Unciam mediam.
Seminis Aniſi Drachmas duas.
Santali citrini Drachmam vnam & Mediam.

Radicum Acori,
Angelicæ,
Zedoariæ, ana ſcrupulos duos.
Macis,
Nucis Moſchatæ,
Caryophyllorum,
Cubebarum, ana ſcrupulum unum.
Menthæ odoratæ,
Florum Lavendulæ,
Roſarum rubrarum,
Stœchados,
Schœnanthi, ana pugillum unum.

Spiritus

Spiritus vini libras ſex & mediam.

*Poſt debitam macerationem deſtilla S. A. poſtea adde*

Iulapii roſati libram mediam.

Santali rubri drachmam unam & mediam.

*Et, ſi moſchata deſideretur,*

Moſchi, &

Ambræ griſeæ, ana ſcrupulum medium.

## DE ACETIS.

ACETUM CALENDULÆ.
LAVENDULÆ.
PAPAVERIS ERRATICI.
ROSARUM.
SAMBUCINUM.

*Fiunt omnia eodem modo.*

℞ Florum mediocriter ſiccatorum mediam libram.
Aceti vini acerrimi libras quatuor.

*Inſolentur diebus quadraginta in vaſe vitreo oris anguſti, deinde colentur, & ad uſum reponantur.*

### ACETUM SCILLITICUM.

℞. radicum ſcillæ in taleolas ſectarum, filo trajectarum, & modicè ſub umbra ſiccatarum libram mediam.

Aceti

Aceti vini albi libras quatuor.

*Inſolentur per quadragınta dies; colentur: & in vaſe vitreo bene occluſo ſervetur ad uſum.*

### ACETUM STILLATITIUM.

℞. Aceti vini optimi q. s. vt impleatur cucurbita ad tertiam partem, imponatur cineribus, & deſtilletur, primò lento igne, vt Phlegma inutile eliciatur, dein ſenſim ignem augendo liquor extrahatur ad uſum in vitro aſſervandus.

# SECTIO TERTIA.

## De Syrupis, Mellitis, et Rob.

### Syrupus Altheæ.

℞. Radicum Altheæ Uncias duas.
Cicerum rubrorum Unciam unam.
Radicum Graminis,
Aſparagi,
Glycyrrhizæ raſæ,
Uvarum paſſarum ab arillis mundatarum, ana Unciam mediam.
Cymarum Altheæ,
Malvæ,
Helxines,
Pimpinellæ,
Plantaginis,
Adianthi utriuſque, ana manipulum unum.
Seminum quatuor Frigidorum majorum,
Minorum, ana Drachmas tres.
*Coquantur ex aquæ libris ſex, & cum* Sacchari albiſſimi libris quatuor.

*F. Syrupus.*

### Syrupus Cichorei Cum Rhabarbaro.

℞. Succi Cichorei ritè deſpumati libras tres.
Rhabarbari optimi Unciam unam & mediam.

Cina-

Cinamomi electi Drachmam unam & mediam.

*Macerentur per noctem loco calido, vaſe bene clauſo. Colaturæ expreſſæ adde*

Sacchari albi Libras duas.

*Coquantur* S. A. *ad conſiſtentiam Syrupi.*

SYRVPUS COCHLEARIÆ.

℞ Succorum recenter expreſſorum
Cochleariæ Uncias quinque.
Becabungæ,
Naſturtii Aquatici, ana Unciam unam.

*Depurentur leviter calefaciendo, cavendo ne effervescant: calentibus immiſce ſenſim*

Sacchari albiſſimi tenuiſſimé triti & per Cribrum trajecti Libram unam Uncias octo.

*Miſtis & refrigeratis adde*

Spiritus ex prædictis ſuccis per alembicum vitreum deſtillati Uncias duas.

*F. Syrupus.*

SYRUPUS CYDONIORUM.

℞. Succi Cydoniorum depurati & filtrati Uncias decem.

Sacchari albiſſimi tenuiſſimè triti Libras duas.

*M. F. Syrupus.*

## DIACODIÔN

℞. Capitum Papaveris albi cum ſemine Uncias quatuor.
Siliquarum dulcium ſine granis Uncias tres.
Glycyrrhizæ raſæ Uncias duas.
Aquæ puriſſimæ Libras duodecim.

*Decoquantur ad Libras tres. Exprimantur. Colentur. Adde*
Sacchari penidii, Libram Unam.
Cryſtallini rubri Libram mediam.

*Decoquantur ad Mellis conſiſtentiam.*

## SYRUPUS GLYCYRRHIZÆ.

℞. Glycyrrhizæ raſæ & paululũ contuſæ Uncias duas.
Capilli veneris Vnciam Vnam.
Hyſſopi ſiccæ Vnciam mediam.

*Macerentur horis duodecim in aquæ pluviæ Libris quatuor: Fiat decoctio ad medias: Colaturæ expreſſæ & clarificatæ adde:*

Sacchari albi Vncias ſexdecim.
Mellis puriſſimi Vncias octo.

*Decoquantur S. A. in Syrupum.*

## SYRUPUS HYSSOPI.

℞. Hyſſopi Mediocriter ſiccatæ Vncias duas.
Capilli veneris Vnciam unam.
Radicum Apii,
Fœniculi,
Petroſelini,
Glycyrrhizæ, ana Drachmas ſex.

Hordei

Hordei mundati Vnciam mediam.
Vuarum paſſarum ab arillis mundatarum Vncias duas
*Coquantur ex aqua pura ad Libras tres. Colaturæ adde*
Sacchari albi Libras tres.
Succi Hyſſopi recens expreſſi & depurati Libram mediam.
*Coquantur in Syrupum.*

SYRUPUS JUJUBINUS.

℞. Jujubas leviter conquaſſatas N°. octoginta.
Radicum Malvæ,
Althèæ, ana Drachmas decem.
Glycyrrhizæ raſæ,
Capilli veneris, ana Vnciam unam.
*Decoquantur in aqua pura ad Libras tres.*
*Colaturæ adde*
Sacchari albiſſimi Libras duas.
*Coquantur in Syrupum.*

SYRVPVS PAPAVERIS SIMPLEX.

℞. Capitum Papaveris albi mediocriter maturorum & recentium Libram unam.
*Infunde per biduum in aquæ pluviæ Libris quatuor. Coquantur Lento igne, donec Marceſcant; Fricentur manibus & exprimantur: Expreſſo adde*
Sacchari albi Libras duas.
*Coquantur iterum Lento igne in Syrupum.*

SYRUPUS PAPAVERIS ERRATICI.

℞. Succi Florum Papaveris erratici Libras duas.

*Digeratur ac depuretur in B. M. adde*

Sacchari albiſſimi Libras duas,

*Coquantur S. A. Leni igne in Syrupum.*

### SYRUPUS PASSULARUM LAXATIVUS.

℞. Paſſularum Corinthiacarum bené lotarum Libras duas.

*Coquantur ad mollitiem in ſ. q. aquæ: in libris tribus juris expreſſi infundantur ac macerentur per noctem*

Foliorum Senæ mundatorum Unciæ duæ & media.

Seminis Aniſi Vncia una.

Cinamomi electi Drachmæ duæ.

*Colaturæ fortiter expreſſæ adde*

Sacchari albi Libram unam.

Mannæ Calabrinæ Libram mediam.

*Coquantur S. A. in Syrupum.*

### SYRUPUS ROSARUM SICCARUM.

℞. Roſarum rubrarum ſiccarum Libram unam.

*Infunde horis viginti quatuor in aquæ calentis puræ libris ſex, infuſionem hanc cum novis Roſis ter repetendo, in expreſſione dilue*

Sacchari albiſſimi libras tres.

F. S. A. *Syrupus.*

## SYRUPUS ROSARUM SOLUTIVUS SIMPLEX.

℞. Infuſionis Roſarum pallidarum, novies iteratæ Libras quinque.
Sacchari albiſſimi Libras quatuor.

*Coquantur S. A. in Syrupum.*

## SYRVPVS ROSARVM SOLVTIVUS CVM SENA.

℞. Infuſionis Roſarum pallidarum præſcriptæ Libras tres.
Foliorum Senæ mundatorum Vncias tres.
Seminis aniſi Vnciam unam.

*Infundantur horis Viginti quatuor loco calido. Colaturæ fortiter expreſſæ adde*

Sacchari albi Libras duas.

*Coquantur in Syrupus.*

## SYRVPVS SVCCI CARDVI BENEDICTI.

℞. Succi Cardui Benedicti depurati Libras tres.
Sacchari clarificati Libras duas.

*F. S. A. Syrupus.*

## SYRVPVS SVCCI CITRI.

℞. Succi citri recentis depurati & Filtrati Vncias Septem

ſeptem.

Sacchari albiſſimi tenuiſſimè triti & cribrati Uncias ſexdecim.

*F. ſine coctione Syrupus.*

## SYRVPUS SYMPHYTI.

℞. Radicum & ſummitatum Symphyti Majoris & Minoris ana, Manipulos quatuor.

Roſarum Rubrarum,

Betonicæ,

Plantaginis,

Pimpinellæ,

Polygoni,

Scabioſæ,

Tuſſilaginis, ana Manipulos duos.

*Ex omnibus recentibus tuſis exprimatur ſuccus. Coquatur leviter despumando ad Libras tres. Adde*

Sacchari albiſſimi Libras duas & mediam.

*F. S. A.* Syrupus.

## SYRVPUS VETONICÆ RVBRÆ, *ſeu* FLORVM CARYOPHYLLEORVM.

℞. Florum Vetonicæ rubræ præciſis unguibus Libram mediam.

Infundantur ter, Flores nimirum renovando, in aquæ puræ Libra una & media. Adde

Sac-

Sacchari albiſſimi tenuiſſimè triti & cribrati Libras tres & mediam.

*F. S. A. Sine coctione Syrupus.*

## Syrupus Violarum.

℞. Florum Violarum recentium ritè Mundatorum Libram mediam.

*Contuſi immittantur in vas terreum vitratum, affundendo aquæ communis Libram unam & mediam. Stent in infuſione per noctem tepide. Colentur. Filtrentur, & addendo*

Sacchari albiſſimi tenuiſſimè triti & cribati Libras tres & mediam.

*F. S. A. Sine coctione Syrupus.*

## Diamorôn.

℞. Succi mororum immaturorum Celſi
Rubi,
Probê depuratorum, ana Libram unam.
Mellis optimi deſpumàti Libras duas.

*Coquantur in Syrupi ſpiſsioris conſiſtentiam.*

## Diacaryôn, *ſeu* Rob Nucum.

℞. Succi corticum viridium Juglandium Menſe Junio

Junio expreſſi & probè depurati Libras quatuor.

Mellis puriſſimi libras duas.

*Coquantur ad debitam conſiſtentiam.*

### Mel Mercuriale.

℞. Succi Mercurialis ritè depurati Libras tres.

Mellis puriſſimi Libram unam & Mediam.

*Coquantur & deſpumentur, ut artis eſt.*

### Mel Rosatum.

℞. Infuſionis roſarum rubrarum recentium novies iteratæ Libras tres.

Mellis puriſſimi Libras duas.

*Coquantur ad debitam conſiſtentiam.*

### Mel Violatum.

℞. Mellis puriſſimi deſpumati, & ad juſtam conſiſtentiam coɛti libras novem.

*Cui ſenſim infunde.*

Infuſionis florum Violarum libras tres.

*Vt agitando ſine coɛtione acquirat Syrupi conſiſtentiam.*

### Oxymel Scilliticum.

℞. Mellis puriſſimi deſpumati & ad debitam conſiſtentiam

ſiſtentiam coĉti Libras duas.
Aceti Scillitici Uncias decem.

*Efferveſcant leviter unica ebullitione, in vaſe terreo vitrato S. A.*

## Rob Ribesiorum.

℞. Succi Ribeſiorum expreſſi & deſpumati Libras duas.
Sacchari albiſſimi Libram unam.

*Coquantur ut artis eſt.*

# SECTIO QUARTA.

## De Conditis et Conſeruis.

### CONDÎTA.

Ceraſa.
Cortices Arantiorum.
Citri.
Cydonia.
Nuces Iuglandes.
Moſchatæ.
Radices Helenii.
Zingiberis.

*Omnia hæc Sacchar o clarificato S. A. condiantur; vel ritè præparata aliunde comparentur.*

### PASSULÆ LAXATIVÆ.

℞. Foliorum Senæ Mundatorum Vncias quatuor.
Seminis fœniculi dulcis Drachmas duas.
Cinamomi,
Zingiberis, ana Drachmam unam.
Aquæ cichorei, &
Vini albi ana Libram unam & Mediam.

*Infunde per noctem: deinde bulliant & fortiter exprimantur: colaturæ adde*

Sacchari albi,

Paſſu-

Paſſularum minorum purgatarum, ana Libram unam.

*Coquantur, & poſt juſtam coctionem reponantur.*

### CONSERVÆ.

Florum Betonicæ.
Borraginis.
Bugloſſi.
Calendulæ.
Nymphææ.
Pæoniæ Maris.
Roris-marini.
Roſarum Rubrarum.
Pallidarum.
Saluiæ.
Vetonicæ Rubræ.
Violarum.

Herbarum Abſinthii utriuſque.
Meliſſæ.
Menthæ Criſpæ.

*Omnes hæ conſervæ ita conficiantur, ut contuſis ſingulis ſiccioribus, ad Libram unam, addantur Sacchari clarificati ad tabulati conſiſtentiam coƈti libræ tres: humidioribus verò Libræ duæ; & rudicula Lignea ritè miſceantur, reponanturque in vaſe idoneo.*

### MANUS CHRISTI PERLATA.

℞. Sacchari albiſſimi Libram unam.

Aquæ Roſarum q. ſ.

*Coquantur ad debitam conſiſtentiam. Sub finem coctionis adde*

Margaritarum ritè præparatarum Vnciam mediam.

*F. S. A. Tabellæ.*

SACCHARUM ALTHEÆ.

℞. Pulpæ Radicum Altheæ in lacte dulci ad mollitiem coctarum Uncias tres.
Sacchari albiſſimi tenuiſſimè triti Libram unam.
Aquæ Roſarum q. ſ.

*F. S. A. Tabellæ.*

SECTIO

# SECTIO QUINTA.

## De Electuariis Solutivis.

### CONFECTIO HAMECH.

℞. Foliorum Senæ mundatorum,
Radicum Polypodii quercini,
Rhabarbari electi,
Agarici albi, &
Pulpæ Colocynthidis, in nodulo ligatorum,
Seminis Violarum,
Herbarum Epithymi, ana Vncias duas,
Abſinthii vulgaris,
Thymi, ana Vnciam unam.
Seminum Aniſi,
Fœniculi,
Roſarum rubrarum ana Vnciam mediam.

*Contuſa macerentur in ſ. q. ſeri lactis: deinde coquantur S. A. & exprimantur. Colaturæ adde*

Succi fumariæ depurati,
Sacchari, ana Libram unam & mediam.

*Decoctis ad mellis conſiſtentiam, & percolatis adde*

Pulpæ Caſſiæ,
Prunorum,
Tamarindorum,

Mannæ Calabrinæ, ana Unciam unam & mediam.

*In debitam conſiſtentiam redactis inſperge*

Foliorum ſenæ mundatorum,
Rhabarbari electi, ana Vnciam unam.
Seminis Fumariæ,
Aniſi,
Spicæ nardi Indicæ, ana Drachmas duas.
Scammonii puriſſimi ad ſingulas Libras hujus confectionis Vnciam mediam.

*F. S. A. Electuarium.*

## Diacatholicôn.

℞. Radicum Polypodii quercini Vncias quatuor.
Seminum Fœniculi,
Quatuor frigidorum majorum, ana Vnciam unam.

*Coquantur in ſ. q. aquæ. Colaturæ adde*

Sacchari optimi Libras duas.

*Percoquantur in Syrupum, in quo diſſolve*

Pulpæ caſſiæ,
Tamarindorum, ana Vncias duas.

*Diſſolutis adde pulveres ſequentes.*

Foliorum ſenæ mundatorum Vncias duas.
Radicum Mechoacannæ,

Rhabar-

Rhabarbari, ana Unciam unam.
Glycyrrhizæ raſæ,
Seminis violarum, ana Drachmas duas.
Aniſi Unciam mediam.

*F. S. A. Electuarium.*

## Diaphœnicôn.

℞. Dactylorum optimorum mundatorum, ac in aceto per triduum maceratorum, & per cribrum trajectorum Libram unam.
Penidiorum recentium Uncias ſex.
Amygdalarum dulcium purgatarum Uncias tres.
Turbith optimi Uncias quatuor.
Zingiberis,
Piperis Longi,
Foliorum rutæ ſiccorum,
Cinamomi,
Macis,
Ligni aloës,
Seminum aniſi,
Fœniculi,
Dauci Cretici,
Galangæ, ana Drachmas duas.

*Terenda terantur. Pulveri, citra pulpam Dactylorum Amygdalarum & penidiorum, adde mellis deſpumati triplum, & ſingulis hujus compoſiti Libris,*

Scam-

Scammonii puriſſimi Vnciam mediam.

*F. S. A. Electuarium.*

## Diaprunum Solutivum.

℞. Prunorum Damaſcenorum electorum Libram unam.

*Coquantur in aqua pura, dum molleſcant: Colentur, & per cribrum rarum tranſmittantur: in decoctione colata bulliat*

Violarum recentium Vncia media.
*Colaturæ adde*
Pulpæ ſupradictæ inſpiſſatæ Libram unam.
Sacchari clarificati Libras duas.
Pulpæ tamarindorum,
Caſſiæ, ana Vnciam unam.

*Coquantur omnia bene agitando, & inſpergantur ſequentes pulveres.*

Santali albi,
rubri,
Spodii ex ebore,
Rhabarbari,
Cinamomi, ana Drachmæ tres.
Roſarum,
Seminum Violarum,
Portulacæ,
Scariolæ,
Berberis,

Succi

Succi Glycyrrhizæ,
Tragacanthæ, ana Drachmæ duæ.
Scammonii puriſſimi, ad ſingulas Electuarii Libras
Uncia media.

*F. S. A. Electuarium.*

## Hiera Picra.

℞. Aloes puriſſimæ Libram unam & Vnciam mediam.
Cinamomi electi,
Ligni Aloes,
Radicum Aſari,
Spicæ Nardi Indicæ,
Croci,
Maſtiches , ana Drachmas ſex.
Mellis deſpumati triplum.

*F. S. A. Electuarium.*

# SECTIO SEXTA

## De Antidotis et Opiatis.

### Confectio Alkermes.

℞. Syrupi granorum Kermes Montepeſſulo delati Libras duas & mediam.

*Calefacto adde*

Ambræ griſeæ minutim inciſæ Drachmas duas.

*Liquefacta Ambra inſperge ſequentes pulveres:*

Ligni aloes,
Cinamomi, ana Drachmas ſex.
Lapidis Lazuli præparati,
Margaritarum præparatarum, ana Drachmas duas.
Foliorum Auri,
Moſchi, ana Drachmam unam.

*F. S. A. Electuarium.*

### Diascordium.

℞. Foliorum Scordii ſiccatorum Vncias duas.
Boli Armeni veri Unciam unam & mediam.
Styracis calamitæ Drachmas quatuor & mediam.
Cinamomi,
Caſſiæ ligneæ,
Dictamni Creticæ,

Radicum Tormentillæ,
Biſtortæ,
Gentianæ,
Gummi Galbani,
Arabici,
Terræ Lemniæ, ana unciam mediam.
Seminis Acetoſæ Drachmas duas.
Opii Thebaici Drachmam unam & mediam.
Mellis albiſſimi deſpumati Libras duas & mediam.
Conſervæ Roſarum Rubrarum Libram unam.
Vini generoſi Canarini Libram mediam.

*F. S. A. Opiatum.*

## MITHRIDATIUM.

℞. Myrrhæ electæ,
Croci Anglici,
Thuris Maſculi,
Zingiberis,
Agarici albi & levis,
Spicæ nardi Indicæ,
Cinamomi,
Seminis Thlaſpios, ana Drachmas decem.
Seſelios Maſſilienſis,
Coſti odorati,
Folii Indici, *ſeu* Malabathri recentis, aut, eo deficiente, Macis,
Schœnanthi,
Stoechadis Arabicæ,
Piperis Longi
Caſtorei,

Styracis Calamitæ,
Galbani,
Opopanacis,
Succi Hypocyſtidis,
Terebinthinæ Cypriæ,
Opobalſami veri, vel Peruviani, aut ejus loco Olei
Nucis Myriſticæ expreſſi, ana Vnciam unam.
Caſſiæ ligneæ,
Polii montani albi,
Scordii veri,
Piperis albi,
Carpobalſami, aut ejus loco Cubebarum,
Seminis Dauci Cretici,
Bdellii,
Trochiſcorum Cypheos, ana Drachmas ſeptem.
Radicum Gentianæ.
Dictamni Creticæ,
Spicæ Nardi Celticæ,
Seminum Petroſelini Macedonici veri,
Cardamomi minoris,
Fœniculi,
Roſarum rubrarum,
Gummi Arabici Vermiculati,
Opii Thebaici præparati, ana Drachmas quinque.
Radicum Acori,
Aſari,
Phu, *ſeu* Valerianæ,
Ariſtolochiæ rotundæ,
Seminis Aniſi,

Sagapeni, ana Drachmas tres.
Radicum Meü Athamantici,
Comarum Hyperici,
Acaciæ veræ,
Lumborum Scinci veri, ana Drachmas duas & mediam.
Vini generoſi Canarini q. ſ. Liquandis gummi & ſuccis.
Mellis Narbonenſis deſpumati triplum ad omnia, excepto vino.

*F. S. A. Opiatum.*

## PHILONIUM.

℞. Piperis albi,
Seminis Hyoſcyami albi, ana Vncias duas & mediam.
Opii Thebaici præparati Drachmas decem.
Croci Anglici Drachmas quinque.
Spicæ Nardi Indicæ,
Radicum Pyrethri,
Caſtorei, ana Drachmam unam.
Mellis Narbonenſis deſpumati triplum.

*F. S. A. Opiatum.*

## REQUIES.

℞. Florum Roſarum rubrarum, violarum, ana Drachmas tres.
Opii Thebaici præparati,
Corticum Radicum Mandragoræ,

Semi-

Seminum Papaveris albi,
Hyoſcyami,
Scariolæ,
Lactucæ,
Portulacæ,
Pſyllii,
Nucis myriſticæ,
Zingiberis,
Cinamomi electi ana Drachmam unam & mediam.
Santali albi,
citrini,
rubri,
Spodii ex ebore,
Gummi tragacanthæ, ana Scrupulos duos.
Mellis Narbonenſis deſpumati triplum.

*F. S. A. Opiatum.*

## THERIACA.

℞. Trochiſcorum Scilliticorum Libram mediam.
Viperinorum,
Hedychroorum,
Piperis longi,
Opii Thebaici præparati, ana Vncias tres.
Radicum Iridis Florentinæ,
Agarici albi & levis,
Cinamomi,
Scordii veri,
Roſarum rubrarum,

Seminis

Seminis buniadis, *ſeu* Napi,
Opobalſami veri, aut Peruviani, vel ejus loco, Olei
Nucis myriſticæ expreſſi,
Succi Glycyrrhizæ, ana Vnciam unam & mediam.
Myrrhæ electæ,
Croci Anglici,
Caſſiæ ligneæ,
Schœnanthi,
Radicum Coſti Odorati,
Pentaphylli,
Rhabarbari electi,
Zingiberis,
Foliorum Dictamni Creticæ,
Marrubii,
Calaminthæ montanæ,
Spicæ nardi Indicæ,
Stoechados Arabicæ,
Piperis albi,
nigri,
Thuris maſculi,
Seminis Petroſelini Macedonici veri,
Terebinthinæ Cypriæ, ana Drachmas ſex.
Radicum Acori,
Gentianæ,
Meü Athamantici,
Phu, *ſeu* Valerianæ,
Foliorum Chamæpityos,
Polii Montani,

Folii

Folii Indici *ſeu* Malabathri, aut eo deficiente, Macis,
Spicæ Nardi Celticæ,
Carpobalſami vel Cubebarum,
Seminum Aniſi,
Ammios,
Cardamomi minoris,
Fœniculi,
Seſelios Maſſilienſis,
Thlaſpios,
Comarum Hyperici,
Amomi, *ſeu* Cariophylli Plinii,
Terræ lemniæ veræ, aut Boli Armeni,
Gummi Arabici vermiculati,
Sagapeni,
Chalcitidis toſtæ,
Styracis calamitæ,
Succi Hypocyſtidis,
Acaciæ veræ, ana Unciam mediam.
Radicum Ariſtolochiæ tenuis,
Florum Centaurii minoris,
Seminis Dauci Cretici,
Galbani,
Opopanacis,
Caſtorei,
Bituminis Judaici, ana Drachmas duas.
Vini Generoſi Canarini q. ſ. Liquandis Liquabilibus.
Mellis Narbonenſis deſpumati triplum ad pondus pulverum aridorum.

*F. S. A. Opiatum.*

SECTIO

# SECTIO SEPTIMA.

## De Pulveribus.

## PULVERES PURGANTES.

### Pulvis Diacarthami.

℞. Medullæ Seminum, Carthami,
Turbith gummoſi, ana Vnciam mediam.
Scammonii puriſſimi,
Hermodactylorum,
Glycyrrhizæ raſæ, ana Drachmas duas.
Zingiberis,
Cinamomi,
Gummi tragacanthæ, ana Drachmam unam.

*F. S. A. Pulvis.*

### Pulvis Diaturbith.

℞. Turbith gummoſi,
Hermodactylorum electorum,
Rhabarbari optimi, ana Vnciam unam.
Scammonii puriſſimi Vnciam mediam.
Zingiberis,
Santali albi,
rubri, ana Drachmam unam & mediam.

Gummi Tragacanthæ,
Maſtiches electæ,
Seminis Aniſi,
Cinamomi,
Croci Anglici, ana Drachmam mediam.

*F. S. A. Pulvis.*

## Pulvis Senæ.

℞. Foliorum ſenæ mundatorum Uncias duas.
Cremoris tartari Unciam mediam.
Seminis Aniſi Drachmas duas.
Macis,
Cinamomi, ana Drachmam unam.

*F. S. A. Pulvis.*

## Pulvis Hieræ.

℞. Aloes puriſſimæ Libram mediam, Drachmas duas.
Cinamomi,
Ligni Aloes,
Radicum Aſari,
Spicæ nardi Indicæ,
Maſtiches,
Croci Anglici, ana Drachmas tres.

*F. S. A. Pulvis.*

PULVE-

## PULVERES AROMATICI.

### Pulvis Diacrocü.

℞. Croci Anglici,
Radicum Aſari,
Seminum Petroſelini Macedonici,
Dauci Cretici,
Aniſi,
Apii, ana Drachmas duas.
Rhabarbari,
Meü,
Phu, *ſeu* Valerianæ,
Spicæ nardi Indicæ, ana Drachmas tres.
Coſti,
Myrrhæ,
Caſſiæ ligneæ,
Schœnanthi,
Carpobalſami, vel Cubebarum,
Rubiæ tinctorum,
Succi Abſinthii,
Eupatorii cannabini,
Opobalſami veri, vel Peruviani,
Calami Aromatici,
Cinamomi, ana Scrupulos duos.
Scordii veri,
Scolopendrii,

Succi

Succi Glycyrrhizæ, ana Scrupulos quatuor.
Gummi Tragacanthæ Drachmam mediam.

*F. S. A. Pulvis.*

## Pulvis Diamargaritôn Frigidus.

℞. Margaritarum præparatarum Drachmas tres.
Seminum quatuor frigidorum minorum.
Ligni Aloes,
Santali albi,
Citrini,
Cinamomi,
Baccarum Myrthi,
Florum Bugloſſi,
Nympheæ,
Roſarum rubrarum,
Violarum,
Raſuræ cornu cervi, ana Drachmam unam.
Coralii albi,
Rubri, præparatorum ana Drachmam mediam.
Caphuræ Scrupulum medium.

*F. S. A. Pulvis.*

## Pulvis Diambræ.

℞. Radicum Galangæ,

Zedoariæ,
Cinamomi,
Nucis Moſchatæ,
Caryophyllorum,
Macis, ana Drachmas tres.
Ligni Aloes,
Santali citrini,
Piperis longi, ana Drachmas duas.
Spicæ Nardi Indicæ,
Cardamomi utriuſque,
Zingiberis,
Ambræ griſeæ, ana Drachmam unam.

*F. S. A. Pulvis.*

## Pulvis Dianthôn.

℞. Florum Rorismarini Vnciam mediam.
Roſarum rubrarum,
Violarum,
Glycyrrhizæ raſæ, ana Drachmas tres.
Radicum Galangæ,
Zingiberis,
Zedoariæ,
Ligni aloes,
Cinamomi,
Nucis Moſchatæ,
Caryophyllorum,
Macis,
Spicæ nardi Indicæ,

Se-

Seminum Aniſi,
Anethi,
Cardamomi, ana ſcrupulos duos.

*F. S. A. Pulvis.*

## PULVIS DIARRHODÔN.

℞. Roſarum rubrarum ab unguibus mundatarum Unciam unam.
Santali albi,
rubri, ana Drachmam unam & mediam.
Gummi Arabici,
Spodii ex ebore,
Maſtiches electæ, ana Scrupulos duos.
Seminum Fœniculi,
Ocymi,
Scariolæ,
Portulacæ,
Plantaginis,
Acinorum Oxyacanthæ,
Rhabarbari electi,
Cinamomi, ana Drachmam mediam.
Boli Armeni,
Terræ Lemniæ,
Margaritarum Orientalium, ana Scrupulum unum.

*F. Pulvis*

## Pulvis Diatragacanthü Frigidus.

℞. Gummi Tragacanthæ albiſſimi Uncias duas.
Arabici, Drachmas decem.
Amyli Unciam mediam.
Glycyrrhizæ raſæ Drachmas duas.

*F. Pulvis.*

## Pulvis Diatriôn Santalôn.

R. Trium Santalorum,
Roſarum rubrarum,
Seminum Lactucæ,
Portulacæ,
Scariolæ, ana Drachmas tres.
Rhabarbari,
Spodii ex Ebore,
Succi Glycyrrhizæ, ana Drachmas duas & mediam.
Amyli,
Gummi Arabici,
Tragacanthæ, ana Drachmam unam & mediam.

*F. Pulvis.*

## Pulvis Contra Vermes.

R. Cornu Cervi præparati,

Semi-

Seminis Zedoariæ ana Vnciam unam.
Braſſicæ rubræ,
Portulacæ,
Corallinæ, ana Unciam mediam.
Boli Armeni veri Drachmas duas.

*F. Pulvis.*

## PULVERES CHYMICI.

### CREMOR TARTARI.

℞. Tartari Rhenani albi pulverati & aliquoties abluti q. v.

*Coquantur deſpumando Lento igne cum ſ. q. aquæ pluviæ in vaſe fictili vitrato, donec cuticula in ſuperficie apparere incipiat; qua Cochleari perforato ſemel detracta, quod reliquum eſt Liquoris ferv idè per manicam Hippocratis coletur in ſubjecta vaſa fictilia; quod receptum ubi refrixerit cuticulam relinquet in ſuperficie, & vaſorum parietibus adhærentes Cryſtallos; quæ omnia aqua munda accuratè abluta, leni calore exſiccata, atque in tenuiſſimum pulverem lævigata, Tartari Cremorem, vulgò dictum, faciunt.*

### CROCUS METALLORUM.

℞. Antimonii puriſſimi,
Salis nitri, ana p. æ.

*Terantur ſeorſim. Miſceantur; ac partitim crucibulo injecta*

*jecta, ferroque candente agitata incendantur. Abſolutâ calcinatione cruſtam albam abjiciendam a croco rubicundo ſepara; quem aquâ calidâ ſæpius ablutum atque edulcatum leni igne exſicca, uſui ſervandum.*

## Flores Sulphuris.

℞. Sulphuris puriſſimi q. v.

*Sublimetur ex cucurbitâ terrea vitrata ſuperimpoſito alembico vitreo, vel terreo vitrato, per mediocrem arenæ calorem, floreſque colligantur uſui ſervandi.*

## Sal Prunellæ.

℞. Salis Nitri puriſſimi q. v.

*Solvatur in aqua calida & filtretur per chartam bibulam; concretos loco frigido Cryſtallos in crucibulo liquefac, & ſenſim adjiciendo florum Sulphuris ad ſingulas nitri Libras Vnciam unam, Fuſa & ſic deflagrata Materia, iterum in aqua calida ſolvatur, filtretur, coaguletur; & cum floribus Sulphuris depuretur denuò & tertiò.*

## Magisterium Coraliorum.

℞. Coraliorum rubrorum q. v.

*Affunde per noctem in vaſe vitreo loco calido*

Aceti vini deſtillati q. ſ.

*Vt fiat ſolutio : decanta & filtra per chartam bibulam. Materiæ relictæ denuò affunde Acetum deſtillatum, eò uſque illud repetendo donec penitus ſolvatur, non niſi fæcibus remanentibus. Solutionibus conjunctis inſtilla guttatim*

Olei Tartari per deliquium facti q. ſ.

*Vt præcipitetur pulvis aqua calida poſtmodum ſæpius eluendus & ſiccandus.*

*Eodem modo fiunt.*

MAGISTERIA MARGARITARUM &

OCULORUM CANCRI.

## MERCURIUS SUBLIMATUS CORROSIVUS.

℞. Mercurii crudi Sale & aceto depurati & per corium trajecti,
Vitrioli vulgaris exſiccati,
Salis communis calcinati, ana p. æ.

*Trita ſimul & exactè miſta, indantur Matracio, & ſublimentur per Octo horas, igne per gradus aucto. Materia Cryſtallina eximatur, & ad uſum ſervetur.*

## MERCURIUS SUBLIMATUS DULCIS.

℞. Sublimati corroſivi Uncias quatuor.
Mercurii crudi Sale & aceto ritè purgati & per corium trajecti Uncias tres.

*Trita ſimul, & matracio indita ſublimentur in arena, igne per gradus aucto, ſpatio quinque aut ſex horarum. Materia Cryſtallina a fæcibus & fuligine ſeparata, ſi dulcis ſit, reponatur & uſui ſervetur; ſin minus, in pulverem redacta iterum ſublimetur, donec omnem acrimoniam depoſuerit.*

## Mercurius Præcipitatus Albus.

℞. Mercurii crudi, ut ſupra repurgati Uncias octo.
Aquæ fortis Uncias ſexdecim.

*Solvatur ſuper cineres tepentes: ſoluto affunde guttatim*

Muriæ q. ſ.

*Pulverem album præcipitatum ſæpius aqua calida ablue, donec omnem acrimoniam depoſuerit; & blando calore exſiccatum repone ad uſum.*

## Mercurius Præcipitatus Ruber.

℞. Mercurii crudi purgati Uncias octo.
Aquæ fortis Uncias ſexdecim.

*Solvatur ſuper cineres tepentes in vaſe vitreo deinde evapora valido igne ad ſiccitatem uſque.*

## Resina Scammonii:

℞. Scammonii crudi groſsè triti Uncias duas.

Spiritus vini Libram unam.

*Digerantur horis viginti quatuor in B. M. Solutum filtra calide.*

*Scammonium ita ſolutum infunde in aquæ puræ Libras circiter viginti: & in fundo præcipitatum, Lento igne exſicca, & ad uſum ſerva.*

Eodem modo fiat

## RESINA JALAPPÆ.

## SACCHARUM SATURNI.

℞. Limaturæ plumbi ritè depuratæ Libram unam. Aceti vini deſtillati q. ſ.

*Digerantur per aliquot dies circa cineres tepidos: filtrentur per chartam bibulam; colatus Liquor evaporet leni igne, & quæ in fundo relinquitur materia exſiccata ſervetur ad uſum.*

## SAL ABSINTHII,
## CARDVI BENEDICTI,
## FABARUM.

*Herbæ exſiccatæ urantur in cineres albos, ex quibus per aquam calentem fiat Lixivium, quod filtratum lento carbonum igne exſiccetur ad ſalis concretionem; qui ut nitidior reddatur, iteratis ſolutionibus, filtrationibus, et coagulationibus depurandus eſt.*

TARTA-

## TARTARUM VITRIOLATUM.

℞. Olei Tartari per deliquium facti Uncias quatuor.

*Cui affunde guttatim*

Olei vitrioli Uncias duas.

*Coagulum Lento igne exſiccetur , & reponatur ad uſum.*

## VITRIOLVM VOMITIVUM.

℞. Vitrioli albi q. v.

*Solve in aqua pluvia; filtra & evapora, donec cruſta apparere incipiat. Pone in Loco frigido. Cryſtallos concretos exime. Aquam reſtantem iterum evapora , & tertiò , dum omne Sal purum exceperis : quod ultimo cum aqua Roſarum ſolutum , filtratum , & coagulatum , calore levi ſiccetur; pulviſque ſervetur ad uſum.*

SECTIO

# SECTIO OCTAVA.

## De Pilulis.

### Pilulæ Chalybeatæ.

℞. Aloës optimæ Unciam unam.
Chalybis præparati, Drachmas ſex.
Gummi ammoniaci in aceto ſcillitico diſſoluti,
Scammonii puriſſimi, ana Vnciam mediam.
Croci Anglici,
Tartari vitriolati, ana Drachmam unam & mediam.
Oxymelitis ſcillitici q. ſ.

*F. Maſſa.*

### Pilulæ Cochiæ.

℞. Pulveris Hieræ ſimplicis Drachmas decem.
Trochiſcorum Alhandal Drachmas tres & mediam.
Scammonii puriſſimi Drachmas duas & mediam.
Turbith gummoſi,
Florum Stæchados, ana Drachmas quinque.
Mellis violati, q. ſ.

*F. Maſſa.*

### Pilulæ Extracti Catholici.

℞. Pulpæ colocynthidis Drachmas ſex.
Agarici albi,

Fibrarum

Fibrarum radicum Hellebori nigri,
Pulveris Diarrhadôn Abbatis, ana Vnciam mediam.

*Ex hiſce extrahe tincturam per ſpiritum vini: cui colatæ adde Pulverum*

Aloes Lucidæ Unciam unam.
Scammonii puriſſimi Unciam mediam.

*Evaporent in Extracti conſiſtentiam.*

## Pilulae Hierae Cum Agarico.

℞. Aloës lucidæ Vnciam unam Drachmas tres.
Agarici trochiſcati Vnciam mediam.
Radicum Aſari,
Galangæ,
Cinamomi electi,
Spicæ nardi Indicæ,
Croci Anglici,
Maſtiches, ana ſcrupulum medium.

*Diſſolvatur Aloë in Melle roſaceo; poſtea addantur reliqui pulveres, et fiat Maſſa.*

## Pilulæ Laudani Opiati.

℞. Opii Thebaici ſpiritu vini diſſoluti, paululùm coćti & colati Vnciam unam.

Miſce-

*Miſceatur cum Tinctura per ſpiritum vini extracta ex*

Pulveris Diambræ Uncia media.

*Evaporent in Conſiſtentiam Pilularum, addendo ſub finem*

Croci Anglici Drachmam unam.
Caſtorei Drachmam mediam.

*F. Maſſa.*

## Pilulæ Pestilentiales.

℞. Aloës Lucidæ Vncias duas.
Myrrhæ electæ Vnciam unam.
Croci Anglici Vnciam mediam.

*Cum vino Canarino F. Maſſa.*

SECTIO

# SECTIO NONA.

## De Trochiſcis.

### Agaricus Trochiscatus.

℞. Agarici albiſſimi Uncias tres.
Vini Canarini, in quo Zingiberis Drachmæ duæ
fuerint infuſæ, q. ſ.

*F. Trochiſci.*

### Trochisci Albi, *ſeu* Sief Album.

℞. Ceruſſæ lotæ Drachmas decem.
Amyli Drachmas tres.
Gummi Arabici,
Tragacanthæ,
Sarcocollæ craſſioris, ana Drachmam unam.
Caphuræ Drachmam mediam.

*Cum albumine Ovi F. Trochiſci.*

*Cum Opio præparentur, addendo*

Opii Drachmam unam.

## TROCHISCI DIACOLOCYNTHIDOS *dicti* ALHANDAL.

℞. Pulpæ Colocynthidis albæ & levis, à ſeminibus purgatæ, minutim conciſæ, & cum ſ. q. Olei Olivarum maturi fricatæ & pulveratæ. Uncias duas.
Gummi Arabici,
Tragacanthæ,
Bdellii, ana Drachmam unam grana quindecim.

*Pulveratis omnibus extrahatur ex Gummi Tragacanthæ & Arabici ſufficienti portione cum aquâ Roſaceâ ea mucilaginis quantitas, qua reliqui pulveres commodè in paſtam redigi poſſint; ex quâ formentur Trochiſci in Umbra ſiccandi.*

## TROCHISCI BECHICI ALBI.

℞. Sacchari puriſſimi Libram unam.
Cryſtallini candidi,
Penidii, ana Uncias quatuor.
Radicum Iridis Florentinæ Unciam unam.
Glycyrrhizæ Unciam mediam.
Amyli Unciam unam & mediam.
Mucilaginis Gummi Tragacanthæ, cum aqua Roſacea extractæ q. ſ.

*F. Trochiſci parvi.*

TRO-

## Trochisci Bechici Nigri.

℞. Succi Glycyrrhizæ inſpiſſati,
Sacchari Cryſtallini rubri, ana Uncias quatuor.
Myrrhæ electæ Drachmas ſex.
Croci Anglici Drachmam unam.
Mucilaginis gummi Tragacanthæ in aqua Hyſſopi ſolutæ q. ſ.

*F. S. Trochiſci.*

## Trochisci Capparum.

℞. Corticis Radicum Capparum,
Seminis viticis, ana Drachmas ſex.
Gummi ammoniaci Unciam mediam.
Radicum Acori,
  Ariſtolochiæ rotundæ,
  Cyperi rotundi,
Foliorum Calaminthæ montanæ,
  Rutæ,
  Scolopendriæ,
Seminum Naſturtii,
  Nigellæ,
Amygdalarum amararum,
Succi Eupatorii Aquatici condenſati, ana Drachmas duas.

*Trita omnia excipiantur Ammoniaco in aceto vini ſoluto.*

*F. S. A. Trochiſci.*

## TROCHISCI CYPHEOS PRO MITHRIDATIO.

℞. Pulpæ uvarum paſſarum albarum & pinguium.
Terebinthinæ Cypriæ, ana Uncias tres.
Myrrhæ electæ,
Schœnanthi, ana Unciam unam & mediam.
Radicum Acori veri Drachmas novem.
Cinamomi electi Unciam mediam.
Bdellii puriſſimi,
Caſſiæ ligneæ,
Radicum Cyperi rotundi,
Spicæ nardi Indicæ,
Baccarum Iuniperi, ana Drachmas tres.
Ligni Aſpalathi Drachmas duas & mediam.
Croci Anglici Drachmam unam.
Mellis puriſſimi deſpumati,
Uini Canarini, ana q. ſ.

*Ad formandos Trochiſcos.*

## TROCHISCI HEDYCHROI PRO THERIACÂ.

℞. Amomi, aut Caryophyllorum Plinii Unciam unam & mediam.

Caſſiæ

Caſſiæ ligneæ,
Spicæ nardi Indicæ,
Folii Indici, *ſeu* Malabathri, *aut ejus loco* Macis,
Croci Anglici,
Myrrhæ electæ, ana Drachmas ſex.
Radicum Acori,
Coſti odorati,
Phu pontici,
Ligni Aloës,
Cinamomi electi,
Schœnanthi,
Opobalſami veri, *aut* Peruviani, ana Drachmas tres.
Ligni Aſpalathi, *aut* Santali Citrini,
Radicum Aſari,
Herbarum Majoranæ nobilis,
Mari Syriaci, *aut* Dictamni Creticæ, ana drachmas duas.
Maſtiches puriſſimæ Drachmam unam.
Vini Canarini q. ſ.

*F. Trochiſci in umbra ſiccandi.*

## Trochisci Myrrhæ.

℞. Myrrhæ electæ Unciam mediam.
Lupinorum tenuiſſimè tritorum Drachmas tres.
Radicum rubiæ tinctorum,
Foliorum mentaſtri,
Pulegii,

Rutæ,
Seminis Cumini,
Aſſæ fœtidæ,
Opopanacis,
Sagapeni, an Drachmas duas.

*Cum vino decoctionis Arthemiſiæ F. Trochiſci.*

### Trochisci Terræ Lemniæ.

℞. Terræ Lemniæ,
Boli Armeni,
Sanguinis Draconis,
Gummi Arabici aſſati,
Roſarum rubrarum,
Amyli aſſati,
Spodii ex ebore,
Acaciæ veræ,
Hypocyſtidis,
Lapidis Hæmatithæ,
Balauſtiorum,
Coralii rubri,
Succini, ana Drachmas duas,
Margaritarum,
Tragacanthæ,
Seminis Papaveris nigri,

Roſarum, ana Drachmam unam & mediam.
Portulacæ toſti,
Cornu Cervi uſti,
Thuris,
Nucum Cupreſſi,
Croci, ana Drachmam unam.

*Pulvis tenuiſſimè tritus dividatur in duas partes æquales, quarum alteri addantur*

Opii Thebaici præparati Scrupuli duo.

*Vterque pulvis excipiatur ſ. q. Succi Plantaginis & diſtinctè*

*F. Trochiſci, cum & ſine Opio Notandi.*

## Trochisci Scillitici, Pro Theriacâ.

℞. Scillam recentem candidiſſimam à corticoſâ parte & radice lignosà Liberatam.

*Involve maſſæ triticeæ fermentatæ in clibano coquendæ, donec cruſtam duriuſculam undique contraxerit, & feſtuca lignea ſcillæ corpus per rimas cruſtæ promptè penetret, illudque tenerum inveniatur. Tum cruſta triticea ſeparata*

℞. Medullæ

℞. Medullæ Scillæ hujus diligenter lævigatæ Libram unam.
Farinæ Orobi Uncias Octo.

*Mixta ſimulque trita, redige in Paſtillos in umbra, aut furno tepente ſiccandos.*

Trochisci Theriaci, *ſive* Viperini.

℞. Carnis viperinæ à cute, interaneis, capitibus & Caudis liberatæ, cum Anetho, & ſale pauco ex aqua pura coctæ, donec molleſcat; dein ab oſſibus mundatæ, Uncias Octo.
Panis Similaginei biſcocti, triti, & cribrati Uncias duas.

*Cum juris a viperarum decocto reſidui ſ. q. Formentur Trochiſci, manibus inter formandum Opobalſamo vero, aut Peruviano inunctis. Siccentur in cribro inverſo, loco umbroſo, libero, ac perflabili, ſæpe eos vertendo, donec exacté fuerint exſiccati. deinde in pyxidem vitream, aut figulinam vitratam bene obturatam reponantur.*

Nota. *Cum Paſtilli hi famoſſimæ Antidoti Theriacæ baſis ſint, & qui ex Italia Venetiis aut Patavio huc advehi dicuntur, frequentiſſimé vel adulterati vel nimis inveterati ſint, conſultius fore cenſemus, ut Pharmacopæi Viperas ex agro Groningano Noſtrati, aut ex Angliâ petitas ad formandos paſtillos*

*tillos ſuos ipſi aſſumant, aut ibi præparatos à fide dignis accipiant.*

---

# SECTIO DECIMA.

## De oleis.

## OLEA PER EXPRESSIONEM.

### OLEUM AMYGDALARUM AMARARUM.

℞. Amygdalarum amararum ſiccarum non rancidarum, optimè purgatarum. q. v.

*Terantur in Mortario lapideo piſtillo ligneo minutiſſimè, ex iiſquè in offas collectis ac Sacculo cannabino exceptis, torculari adhibito, ſenſim & ex intervallis oleum exprimatur.*

*Pari modo fiunt.*

Olea Amygdalarum dulcium.
Laurinum.
Seminis Lini.
Macis.
Nigellæ.
Nucis Moſchatæ.
Nucum Iuglandium.

Ovorum.
Palmæ, &
Papaverinum.
Quorum pleraque ex Emporiis haberi poſſunt.

## Olea Per Infusionem & Decoctionem.

### Oleum Absynthii.

℞. Comarum Abſynthii recentis inciſarum & contuſarum Uncias quatuor.
Olei Omphacini Libras tres.

*Vaſi vitreo indita macerentur diebus quindecim, in loco à Sole aut foco calente ter repetendo comarum infuſionem, ultimæque addendo.*

Succi Abſynthii Uncias quatuor.

*Coquantur leniter ad ſucci conſumptionem.*

Eademque ratione confiunt.

Oleum Anethinum ex foliis & floribus, cum oleo maturo.
Chamæmelinum pari modo.
Hyperici ex ſummitatibus & floribus.
Liliorum alborum.
Nepethæ.

Roſa-

Roſaceum completum, ex Roſis apertis & oleo maturo.
Roſaceum Omphacinum, ex Roſis rubris nondum penitus apertis, & oleo Omphacino.
Rutaceum, ex oleo maturo.
Scorpionum, in oleo Amygdalarum amararum ſimpliciter infuſorum.
Solatri, ex foliis & baccis, cum oleo.
Omphacino.
Verbaſci &
Violaceum ex floribus & oleo Omphacino.

## OLEUM CAPPARUM.

℞. Corticum Radicum Capparum Unciam unam.
Tamariſci.
Radicum Cyperi.
Foliorum Scolopendrii, *ſeu* ceterach,
Tamariſci.
Ruthæ.
Seminis Agni caſti, ana Drachmas duas.

*Contuſa omnia macerentur in*

Aceti vini.
Vini optimi ana Unciis duabus.
Olei olivarum maturi Libra una.

*Omnibus tepentibus per dies duos. Dein coquantur in vaſe duplici, donec Acetum et vinum evaporaverint: Omnibuſq; fortiter expreſſis ad uſum ſuum ſervetur Oleum.*

## Oleum Castorei.

℞. Caſtorei pinguis & mollis à pelliculis mundati Unciam unam.
Olei Olivarum maturi veteris Libram unam.
Vini albi generoſi Uncias tres.

*Bulliant in diplomate ad vini conſumptionem, dein reponantur non colata ad uſum.*

## Oleum Crocinum pro Emplastro e Ranis.

℞. Croci Anglici,
Cardamomi,
Radicum Acori, ana Unciam unam.
Myrrhæ electæ Unciam mediam.

*Macerentur omnia diebus ſex in Aceto acerrimo, deinde additâ*

Olei Olivarum maturi Librâ unâ & mediâ

*Coquantur lento igne ad aceti conſumptionem: Colentur, exprimantur, & ad uſum reponantur.*

## Oleum Irinum.

℞. Radicum Iridis Florentinæ contuſarum Libram mediam.
Florum Iridis cæruleæ Libram unam.
Decocti aliarum Radicum Iridis Libram unam.
Olei Olivarum maturi Libras tres & mediam.

*Coquantur in vaſe duplici ad liquoris exhalationem: Colentur & exprimantur.*

## Oleum Lumbricorum.

℞. Lumbricorum Terreſtrium vino albo generoſo lotorum Libram unam.
Olei Olivarum maturi Libras duas.
Vini rubri generoſi Libram unam.

*Coquantur in diplomate ad vini conſumptionem. Colatura expreſſa ſervetur uſui.*

## Oleum Mastichinum.

℞. Maſtiches electæ Uncias tres.
Olei roſacei Omphacini Libram unam.
Vini rubri auſteri Libram mediam.

*Coquantur in diplomate, donec vinum exhalaverit. Colentur & exprimantur.*

## Oleum Mucaginum.

℞. Radicum Altheæ recentium contuſarum Libram mediam.
Scillæ recentis contuſæ Unciam unam & mediam.
Seminum Lini.
Fœnigræci, ana Uncias duas.

*Macerentur in ſ. q. aquæ pluviæ deinde leniter coquantur, donec remittant craſſam & viſcoſam Mucaginem.*

Cujus colatæ & expreſſæ Libris duabus.

*Adde*

Olei Anethini.
Chamæmelini.
Liliorum alborum, ana Uncias ſexdecim.

*Coquantur ad humiditatis aqueæ conſumptionem, ſæpius agitando, ne adurantur.*

## Oleum Vulpinum.

℞. Vulpem adultam, benè nutritam, excoriatam, exenteratam, oſſibuſque confractis & contuſis, conciſam.

*Coque in aquæ marinæ, vel alterius ſalitæ ſ. q. ex dimidio coctæ adde*

Olei olivarum maturarum veteris Libras quatuor.
Herbarum Anethi.
Origani.
Thymi, ana Libram mediam.

*Coquantur, dum caro ab oſſibus ſeparetur & aqua fuerit conſumpta. Colentur & exprimantur.*

## Olea Per Destillationem.

Aniſi.
Baccarum Juniperi.
Carui.
Caryophyllorum.
Cinamomi.
Corticum Arantiorum.
Citri.
Cumini.
Fœniculi.
Ligni Rhodii.
Macis.
Nucis Moſchatæ.
Origani.
Roriſmarini.
Spicæ.

Quo-

*Quorum omnium conficiendorum par ratio eſt. Paradigmatis loco ſit hoc,*

℞. Prædictorum horum cujuſlibet Libras duas.
Aquæ puriſſimæ Libras viginti.

*Macerentur diebus aliquot, dein fiat deſtillatio per alembicum cum refrigeratorio. Oleum cum aqua exceptum ſeparetur per infundibulum, ut artis eſt.*

## Oleum Ceræ.

℞. Ceræ flavæ Libram unam.

*Liquefiat, & tamdiu fuſa ſuper igne ſervetur, dum nullas amplius bullas emittat. Amotæ ab igne admiſce*

Sabuli puriſſimi Libras tres.

*Immittantur retortæ amplæ, ut tertia pars repleatur; & deſtilletur, ſervatis ignis gradibus.*

## Oleum Laterum, Philosophorum Dictum.

. Lateres ruffos antiquos q. v.

*Contuſos & acri igne candefactos reſtinguito in oleo olivarum veteri: quo imbutos in tenuiſſimum pulverem conterito, retortæ indito, & igne aperto oleum ex iis deſtillato.*

Oleum

## Oleum ſeu Spiritus Salis.

℞. Muriæ fortiſſimæ,
Pulveris laterum ruſſorum prius candefactorum,
ana p. æ.

*Indantur retortæ loricatæ cum recipiente ſuo ſatis amplo conjunctæ, & deſtillentur per gradus ignis, ut artis eſt.*

## Oleum Succini.

℞. Succini albi *vel* flavi q. v.

*Imponatur retortæ ut tertia tantum pars repleatur, quâ recipienti ſatis capaci ex Arte adaptatâ ſubmiſſoque gradatim igne.*

*F. Deſtillatio.*

## Oleum ſeu Spiritus Sulphuris.

℞. Sulphuris q. v.

*Imponatur Crucibulo, & accenſum deſtilletur ſuperpoſitâ campanâ vitreâ, ut artis eſt.*

## Oleum Terebinthinæ.

℞. Terebinthinæ q. v.

*Deſtilletur per Veſicam affuſa aquæ q. ſ. ut artis eſt.*

### Oleum Vitrioli.

℞. Vitrioli Romani ad rubedinem calcinati & triti, q. ſ.

*Deſtilletur ex Retortâ Lutatâ cum amplo recipiente, ſervatis ignis gradibus, ut artis eſt.*

### Oleum *ſeu* Liquor Myrrhæ.

℞. Ova ad duritiem cocta, per medium diſciſſa, exemptiſque vitellis excavata, q. ſ.

*Impleatur illorum cavitas*

Myrrhâ pulveratâ,

*Conjunctæ filo partes ſuſpendantur in loco humido, ſubmiſſoque vaſe excipiatur liquor deſtillans oleaginoſus, recens ſemper præparandus.*

### Oleum *ſeu* Liquor Plumbi.

℞. Plumbi calcinati, q. v.

*Affuſâ aceti fortis ſ. q. ſolvâtur: ſolutio filtretur: filtrata ſervetur uſui.*

### Oleum *ſeu* Liquor Tartari.

℞. Tartari donec albeſcere incipiat calcinati, inque pulverem redacti q. v.

Quo

*Quo manicæ Hippocratis indito, inque loco frigido & humido ſuſpenſo, ſtillabit liquor, vaſe ſuppoſito excipiendus, ſemelque rurſum, ut tantò purior evadat, filtrandus.*

*Stillatitiis hiſce Liquoribus accenſendum venit*

Oleum Petræ Naturale.

# SECTIO UNDECIMA.

## De Vnguentis.

### Unguentum Ægyptiacum.

℞. Æruginis Uncias quinque.
Mellis puriſſimi, cum pauxillo aceti deſpumati & colati Uncias quatuordecim.
Aceti vini acerrimi Uncias ſeptem.

*Coquantur ſimul lento igne ad conſiſtentiam Vnguenti colore purpurei.*

### Unguentum Diabryonias Agrippæ Dictum.

℞. Radicum recentium Bryoniæ Libram unam.
Cucumeris Aſinini Libram mediam.
Scillæ Uncias tres.
Iridis Unciam unam & mediam.
Ebuli,
Filicis,
Ari, ana Unciam unam.
Ceræ albæ Uncias ſeptem & mediam.
Olei olivarum maturi Libras duas.

*Radices omnes mundatæ, inciſæ, & contuſæ, macerentur per octiduum in oleo; deinde coquantur, & exprimantur. Oleo ita colato adde Ceram, &*
*F. S. A. Unguentum.*

Un-

## UNGUENTUM ALABASTRINUM.

℞. Succorum, per aquæ calidæ humectationem expreſſorum
Florum Chamæmeli, Uncias duas.
Roſarum rubrarum Unciam unam.
Foliorum Rutæ,
Betonicæ, ana Drachmas ſex.
Radicum Altheæ, Unciam unam.
Olei Roſacei Omphacini Uncias novem.
Alabaſtri puriſſimi, tenuiſſimè lævigati Unciam unam & mediam.

*Infundantur per noctem & coquantur lento igne ad ſuccorum conſumptionem, & cum*

Ceræ albæ Unciis duabus & media.

*F. Vnguentum.*

## UNGUENTUM ALBUM CAPHURATUM.

℞. Olei Roſarum Omphacini Libram unam.
Ceræ albæ Uncias tres.
Ceruſſæ Libram mediam.
Caphuræ cum pauxillo olei Roſacei tritæ Drachmas duas.

*S. F. A. Vnguentum.*

UNGUEN-

## Unguentum Altheæ.

℞. Olei Mucaginum Libras duas.
Ceræ citrinæ Libram mediam.
Reſinæ Uncias tres.
Terebinthinæ Unciam unam & mediam.

*F. S. A. Unguentum.*

## Unguentum Apoſtolorum.

℞. Olei Olivarum communis Libras duas.
Lithargyri Auri Drachmas decem.

*Coquantur leni igne affuſâ aquæ puræ ſ. q. ſpatulâ continuò agitando ad unguenti mollioris conſiſtentiam. Adde*

Ceræ Flavæ.
Reſinæ, ana Drachmas quatuordecim.

*Liquatis & adhuc tepentibus miſce ſequentia aceto acerrimo diſſoluta, colata, & ad mellis conſiſtentiam cocta.*

Gummi Ammoniaci Drachmas quatuordecim.
Bdellii Drachmas ſex.
Galbani,
Opopanacis, ana Unciam mediam.

*Miſcendo his*

Terebinthinæ Drachmas quatuordecim.

*Tandem*

*Tandem adjice ſequentes Pulveres*

Ariſtolochiæ longæ,
Thuris Olibani, ana Drachmas ſex.
Myrrhæ Unciam mediam.
Æruginis Drachmas duas.

*F. S. A. Unguentum.*

## Unguentum Aureum.

℞. Olei olivarum maturi Libras duas.
Ceræ flavæ Libram mediam.
Terebinthinæ Uncias duas.
Reſinæ,
Colophoniæ, ana Unciam unam & mediam.

*Liqueſcant omnia: liquatis adde Pulverum*

Thuris
Maſtiches, ana Unciam unam.
Croci Anglici Drachmam unam.

*F. Unguentum.*

## Unguentum Basilicum.

℞. Picis navalis,
Reſinæ,
Ceræ flavæ, ana Libram unam.
Olei communis Libras duas.

*F. S. A. Vnguentum.*

## Unguentum Nervinum.

℞. Unguenti Altheæ Uncias quatuor.
Pinguedinum Anatis,
Anſeris,
Canis,
Felis, ana Uncias duas.
Oleorum Anethini,
Chamæmelini,
Laurini,
Vulpini,
Lumbricorum, ana Unciam unam.
Caſtorei,
Petræ,
Spicæ,
Terebinthinæ, ana unciam mediam.
Ceræ flavæ Uncias duas.
Spiritus Vini Unciam unam & mediam.
*F. S. A. Unguentum.*

## Unguentum Nutritum.

℞. Lithargyri auri tenuiſſimè lævigati Uncias tres.
Aceti vini acerrimi Libram unam.
Olei Roſacei q. ſ. *ut nutriendo in mortario*
*F. S. A. Vnguentum.*

## Unguentum Oculare.

℞. Lapidis calaminaris præparati Drachmas ſex.
Tuthiæ

Tuthiæ præparatæ Drachmas duas.
Vitrioli albi,
Caphuræ cum oleo Amygdalino recenti tritorum ana ſcrupulum unum.
Unguenti Roſacei Uncias tres.
Ol. Amygdalarum dulcium recentis q. ſ.

*F. Unguentum molle.*

## Unguentum Pomatum.

℞. Axungiæ Porcinæ recentis à pelliculis ſuis mundatæ & cum aquâ Roſaceâ optimè lotæ Libras duas.

*Igne leni paulatim liquefactæ adde*

Poma odorifera ( Aechten-Appelen vulgò noſtratibus dicta ) in taleolas conciſa ſexdecim.
Ligni Rhodii recenter raſpati
Saſſafras conciſi.
Radicum Iridis Florentinæ, ana Drachmas ſex.

*Ebulliant leviter in vaſe terreo vitrato, ſuſpendendo inter ebulliendum ſacculum, qui habeat*

Benzoini, &
Styracis Calamitæ groſſè confractorum, ana Unciam mediam.
Cinamomi electi Drachmas tres.
Caryophyllorum Drachmam unam.

*Ab igne remota maneant per dies aliquot, deinde adjectis.*

*Repetatur lenis coctio ad humiditatis aqueæ conſumptionem, demumque colentur omnia per pannum lineum mundum, colataque pinguedo piſtillo ligneo leniter agitetur, dum refrixerit.*

*F. Unguentum.*

## Unguentum Populeum.

℞. Gemmarum Populi recentium Libram unam.

*Contundantur & macerentur in*

Axungiæ ſuillæ inſulſæ & præparatæ Libris tribus.

*In vaſe figulino vitrato repoſita ſerventur, donec progrediente tempore ſequentes herbæ comparari poſſint.*

℞. Foliorum Papaveris nigri,
Mandragoræ,
Hyoſcyami albi,
Solani,
Sempervivi majoris,
minoris,
Lactucæ,
Bardanæ,
Violariæ,
Umbilici Veneris,
Cymarum rubi tenerrimarum, ana manipulum unum & medium.

*Axungia*

*Axungia cum Gemmis populi prius percoctâ colatâ & expreſſâ, adjectiſque herbis jam prædictis contuſis, fiat rurſum fermentatio per dies aliquot, dein coctio uſque ad conſumptionem humiditatis continuâ adhibitâ agitatione. Colentur & exprimantur.*

*F. S. A. Vnguentum.*

### Unguentum Rosaceum.

℞. Axungiæ Porcinæ recentis à membranis purgatæ, & aquâ mundâ aliquoties ultimòque Roſaceâ optimè lotæ Libras ſex.
Roſarum pallidarum recentium q. ſ.

*Mixta inſolentur, aut loco tepido macerentur per dies aliquot, dein efferveſcant & colentur. Colaturæ immiſceatur eadem Roſarum quantitas eodem quo prius tractanda modo, qui labor tertiò minimum repetatur, donec Axungia gratiſſimum acquiſiverit odorem pro unguento reponenda.*

### Unguentum *ad* Scabiem.

℞. Radicum Helenii q. ſ.

*Coquantur in aceto, contundantur & trajiciantur per ſetaceum. Pulpæ hujus modicé ſiccatæ Libræ uni adde*

Axungiæ porcinæ veteris ſalitæ Uncias octo.
Olei Raparum veteris Uncias quatuor.

Sulphuris cum ſucco limonum triti Uncias duas.
Pulveris Radicum Hellebori nigri,
Zingiberis, ana Unciam mediam.
Ceræ flavæ Unciam unam.

*F. S. A. Vnguentum.*

*Quod ſi quis adjecto Mercurio efficacius deſideret*

Vnguenti prædicti Unciis ſex

*Addantur*

Mercurii crudi,
Terebinthinæ, ana Uncia media.

*Miſceantur exactiſſimé diu agitando in mortario.*

*F. S. A. Vnguentum ad ſcabiem Mercuriale.*

SECTIO

# SECTIO DUODECIMA.

## De Emplaſtris.

### Emplastrum Ex Cumino.

℞. Ceræ flavæ,
Emplaſtri Diachalciteos,
Olei Olivarum veteris, ana Libram mediam.
Seminis Cumini ſubtiliſſimé triti Uncias quinque.

*F. S. A. Emplaſtrum.*

### Emplastrum Defensivum.

℞. Foliorum Salicis,
Fraxini, ana Manipulos quatuor.
Rubi,
Conſolidæ majoris cum toto, ana manipulos duos.
Corticum radicum Fraxini,
Summitatum myrthi, ana manipulum unum.

*Contuſis omnibus affunde*

Vini rubri auſteri Uncias quadraginta.
Aceti roſacei Uncias duas.

*Macerentur omnia in loco tepido, diebus octo continuis, dein adde*

Olei Roſacei Libram Unam & mediam.
Maſtichini Libram mediam.

*Coquantur leni igne. Colatura fortiter expreſſa bulliat cum*

Lithargyri Auri &
Argenti, ana Unciis ſex.

*Ad Emplaſtri conſiſtentiam, addendo inter coquendum*

Sevi ovilli Libram unam.
Ceræ novæ Libras duas.

*Et ſub finem coctionis*

Terebinthinæ Uncias quatuor.
Thuris,
Myrrhæ, ana Unciam unam.
Maſtiches Drachmas duas.
Boli Armeni,
Terræ Sigillatæ vulgaris,
Minii, ana Uncias quatuor.

*F. S. A. Emplaſtrum.*

## Emplastrum Diachalciteos. *ſeu* Palmeum.

℞. Olei olivarum veteris Libras tres.
Lithargyri auri tenuiſſimè triti Libras duas.

*Affuſâ aquæ communis ſ. q. bulliant leni igne ſpatulâ Palmeâ continuò agitando ad Emplaſtri mollioris conſiſtentiam: dein additis*

Axungiæ porcinæ ritè mundatæ Libris duabus.

*Percoquantur omnia ad debitam conſiſtentiam: ab igne depoſitis & jam refrigeſcentibus inſpergendo*

Chal-

Chalcitidis uſtæ, *vel* vitrioli albi Uncias quatuor.

*F. Emplaſtrum.*

## EMPLASTRUM DIACHYLON GUMMATUM.

℞. Olei mucaginum Libras quatuor.
Lithargyri auri Libras duas.

*Affuſâ aquæ communis ſ.q. coquantur adhibitâ continuâ agitatione ad Emplaſtri conſiſtentiam addendo*

Ceræ flavæ Libram mediam.
Gummi Ammoniaci,
Galbani,
Opopanacis,
Sagapeni, cum aceto vini ſolutorum colatorum & inſpiſſatorum, ana Uncias quatuor.
Terebinthinæ Libram mediam.

*F. S. A. Emplaſtrum.*

## EMPLASTRUM DIAPOMPHOLYGOS.

℞. Olei Solani Libras duas & mediam.
Ceræ albæ Uncias duas & triginta.
Ceruſſæ,
Plumbi uſti, ana Libram mediam.
Pompholygos,

Olibani,

Olibani, ana Uncias quatuor.

*F. S. A. Emplaſtrum.*

## Emplastrum Gratia Dei.

℞. Ceræ novæ,
Reſinæ, ana Libram mediam.
Terebinthinæ Uncias duas.

*Liqueſiant omnia ſimul, &*
*F. Emplaſtrum.*

## Emplastrum Meliloti.

℞. Florum Meliloti Libram mediam.
Chamæmeli,
Foliorum Abſinthii,
Majoranæ nobilis,
Seminis Fænugræci,
Baccarum Lauri,
Radicum Altheæ, ana Drachmas tres.
Cyperi rotundi,
Iridis Florentinæ,
Spicæ nardi Indicæ,
Caſſiæ Ligneæ,
Seminis Ammios,
Apii,
Cardamomi minoris, ana Drachmas duas & mediam.
Styracis Calamitæ Drachmas quinque.

Ficus

Ficus ſiccatas No. Duodecim.
*Fiat omnium pulvis ſubtilis. Dein*
℞. Ceræ flavæ Vncias octo.
Reſinæ.
Sevi Hircini, ana Vncias quatuor.
*Liquefactis adde*
Gummi ammoniaci purgati Drachmas decem:
Bdellii itidem purgati Drachmas quinque.
*Pulvis ſupra deſcriptus cum liquefactis hiſce vniatur ſpatulâ ligneâ, ſenſim affundendo*
Olei ſpicæ Vncias duas,
Anethini q. ſ.
*F. S. A. Emplaſtrum.*

## Emplastrum Minii.

℞. Vnguenti Roſacei Libram mediam.
Ceræ albæ Vncias tres.
Minii Unciam vnam & mediam.
Vitrioli albi Drachmas duas.
*F. S. A. Emplaſtrum.*

## Emplastrum Mucaginum.

℞. Olei Mucaginum Libram mediam.
Ceræ Flavæ Vncias Viginti.
Gummi ammoniaci,
Galbani,
Opopanacis,
Sagapeni, in aceto vini ſolutorum, ana vnciam mediam.

Terebinthinæ Uncias duas.
Croci Anglici pulverati Drachmas duas.

*F. S. A. Emplaſtrum.*

## Emplastrum Oxycroceum.

℞. Picis navalis,
Ceræ flavæ,
Colophoniæ, ana Libram mediam.

*Igne leniſſimo ſenſim liqueſcat. Liquatis adde*

Gummi Ammoniaci,
Galbani aceto vini ſolutorum, ana Uncias duas.
Terebinthinæ Uncias tres.
*Dehinc inſperge Pulverum,*
Maſtiches,
Myrrhæ,
Thuris, ana Uncias duas.
Croci Anglici Unciam unam.

*F. S. A. Emplaſtrum.*

## Emplastrum Ranarum *ſine* Mercurio.

℞. Olei Chamæmelini,
Anethini,
Liliorum, ana Uncias quatuor.
Axungiæ Porcinæ Libras duas.
Ranas viventes vino lotas n°. duodecim.

Lum-

Lumbricorum Terreſtrium vino ablutorum Uncias ſeptem.

*Coquantur paululùm, adjectis*

Vini generoſi Libris duabus.

*Dein adde*

Foliorum recentium matricariæ,
Schœnanthi,
Florum Stœchados, ana Manipulos duos.
Succorum Radicum Ebuli,
Helenii, ana Uncias quatuor.

*Percoquantur ad vini & ſuccorum conſumptionem: deinde fiat Colatura & expreſſio: cui adde rurſum,*

Lithargyri auri,
Vini generoſi, ana Libras duas.
Pinguedinis vitulinæ Libram unam.

*Repetatur coctio ad Emplaſtri conſiſtentiam, Immiſcendo ſub finem.*

Ceræ albæ,
Olei Laurini, ana Uncias octo.
Spicæ Uncias quatuor.
Crocini Uncias duas.
Styracis liquidæ cum Unciis quatuor Therebinthinæ ſolutæ, Uncias tres.

*Inſperge pulverum*

Thuris Uncias duas & mediam.
Euphorbii Drachmas decem.

*F. S. A. Emplaſtrum.*

## Emplastrum Ranarum Cum Mercurio.

℞. Maſſæ ſupraſcriptæ adhuc tepentis Libram unam.
Mercurii vivi cum Terebinthinæ & olei Laurini ſ. q. extincti Vnciam unam aut duas,

*Si quis duplicatum velit.*

*F. S. A. Emplaſtrum.*

## Emplastrum ad Herniam.

℞. Succi Acaciæ,
Radicum Ariſtolochiæ rotundæ,
Longæ,
Balauſtiorum,
Cupularum glandium,
Fabarum,
Gallarum,
Nucum Cupreſſi,
Malicorii,
Myrtillorum,
Seminis Plantaginis ana Vnciam mediam.
Sumach,
Naſturtii, ana Drachmas tres.

*Omnia in pulverem redacta diebus quatuor Aceto Roſaceo madeſiant. Deinde exſiccentur Super furno calente. Tum*

℞. Radicum conſolidæ majoris,
Filicis,
Oſmundæ regalis,
Herbæ caudæ equinæ ana Vnciam unam.
Aloes,
Maſtiches,
Mumiæ,
Myrrhæ,
Thuris, ana Vncias duas.
Boli Armeni aceto loti,
Lapidis calaminaris præparati,
Lithargyri Auri,
Sanguinis Draconis, ana Vncias tres.

*Pulverata omnia excipiantur*
Picis navalis liquatæ Libris duabus.
Ceræ flavæ Librâ unâ,
Terebinthinæ Vnciis octo.

*F. S. A. Emplaſtrum.*

EMPLASTRUM VESICATORIUM.

℞. Pulveris Cantharidum,
Ceræ flavæ ana Drachmas octodecim.
Reſinæ,
Terebinthinæ,
Picis navalis, ana Drachmas novem.
Seminis Sinapi,
Piperis albi, ana Drachmas ſex.
Gummi ammoniaci,
Galbani, ana Drachmas quinque.

Æru-

Æruginis,
Pyrethri, ana Drachmas duas & mediam.
Euphorbii Drachmam unam & mediam.
Olei pauxillum.

*F. S. A. Emplaſtrum.*

SECTIO

# SECTIO DECIMA-TERTIA, De Præparandis.

## Aloë Rosata.

℞. Aloës puriſſimæ, q. v.

*Trita & cribrata ſolvatur cum ſ.q. ſucci roſarum pallidarum. Siccetur leni igne cinerum; ſiccata rurſum eodem ſucco imprægnetur, idemque labor repetatur tertiò.*

*Eodem modo fiat.*

## Aloë Violata.

## Radicum Ari Fæculæ.

℞. Radicum Ari q. v.

*Optimé mundatæ & contuſæ cum affuſâ ſ. q. aquæ puræ, immittantur ſacculo lineo, ac prælo ſubmiſſæ ſuccum de ſe diffundant vaſe ſubjecto excipiendum, qui in loco frigido aliquantiſper relictus in fundo materiam dabit Amyli Inſtar albicantem. Quæ ſupernatat aqua turbida per inclinationem ſeparanda eſt, reliquum in umbrâ ſiccandum.*

*Eodem modo fiant.*

## Brioniæ Fæculæ.

## Chalybis Præparatio.

℞. Limaturæ Chalybis puriſſimi q. v.

*Irroretur ſ. q. aquæ pluviæ puræ, ut ſufficienter permadeſcat: in loco ſubcalido ſiccatus rurſum eodem modo*

*irro-*

*irroretur; irroratus ſiccetur, isque labor repetatur minimum vigeſies, dum in pulverem impalpabilem ſuper porphyrite lævigando redigi poſſit.*

## Corarii Præparatio.

℞. Coraliorum alborum vel rubrorum q. v.

*Tondantur groſſe in mortario marmoreo. deinde in lapide Porphyrite aſperſâ aquæ Roſarum q. s. lævigentur in pulverem impalpabilem, ſub dentibus minimé ſtridentem, qui ſiccatus ſervetur ad uſum.*

*Pari ratione præparantur.*

## Oculi Cancri & Margaritæ.

## Cornu Cervi præparatio.

℞. Cornu cerui in fruſta majora confracti q. v.

*Calcinetur igne aperto ad perfectam albedinem; ſic calcinatum ævigetur aquâ Roſaceâ aſperſâ in lapide Porphyrio & redigatur in paſtillos exiguos.*

*Eodemque modo ſit.*

## Spodium ex Ebore.

## Elixir Proprietatis.

℞. Aloes puriſſimæ,
Myrrhæ electæ,

Croci

Croci Anglici, ana Unciam unam.

*Tritis ac vaſi vitreo anguſti orificii inditis, ſuperaſfunde*

Spiritus vini rectificati Libram unam & mediam.
Olei Sulphuris rectificati Drachmas ſex.

*Vaſe optimè clauſo fiat digeſtio in Balneo vaporis per dies quatuordecim; Tincturaque extrahatur, quæ per decantationem ſeparata ſeruetur uſui.*

## LAPIDIS CALAMINARIS PRÆPARATIO.

℞. Lapidis Calaminaris q. v.

*Ter candefactus, ter aquis plantaginis & Roſarum extinguatur. Tandem ſuper marmor lævigatus cum iiſdem aquis in paſtillos redigatur.*

*Eodem modo inſtituitur*

## TUTHIÆ PRÆPARATIO.

## LAPIDIS LAZULI PRÆPARATIO.

℞. Lapidis Lazuli q. v.

*Vratur in crucibulo: deinde teratur; & toties aqui primum communi deinde Meliſſæ abluatur, donec aqua limpida poſt lotionem remaneat.*

## LUMBRICORUM PRÆPARATIO.

*Lumbrici cum vino toties lavantur, donec omnem impuritatem depoſuerint; deinde ſiccantur.*

## Opii Præparatio:

℞. Opii q. v.

*Diſſoluatur in ſpiritu vini; ſolutum percoletur & evaporet in conſiſtentiam.*

## Plumbi Ustio.

℞. Laminarum plumbi q. v.
Sulphuris q. ſ.

*Fiat S. S. S. in fictili novo ignem ſuccendito: flagrans plumbum Spathâ ferreâ verſato donec prorſus in cineres redigatur.*

## Ruptorium Commune.

*Fit ex Lixivio fortisſimo S. A. exſiccato.*

## Vitrioli Calcinatio.

℞. Vitrioli pulverati q. v.

*In crucibulo igne moderato exſiccetur ad albedinem, fortiter ſemper agitando, ne adhæreſcat & lapideſcat. Poſtea igne aucto per horæ quadrantem vratur ad rubedinem.*

## Vitrioli *ſeu* Chaltidis Tostio Pro Theriaca.

℞. Vitrioli viridis q. v.

*Soluatur in Crucibulo, & deſpumetur ac leviter toſtum effundatur in mortarium, ut coaleſcat in maſſam ſolidam colore cineritiam.*

*FINIS.*

IN-

# INDEX
## Medicamentorum Compoſitorum
### hujus Pharmacopææ.


Aceta. Sect. II. pag. 22

Calendulæ. 22
Lavendulæ. 22
Papaveris erratici. 22
Roſarum. 22
Sambucinum. 22
Scilliticum. 22
Stillatitium. 23

Antidota. VI. 42

Confectio Alkermes. 42
Diaſcordium. 42
Mithridatium. 43
Theriaca. 46

Aquæ Compositæ. II. 18

Antepileptica. 18
Antiſcorbutica. 19
Cinamomi. 19
Hyſterica. 20
Vitæ Compoſita. 21

Aquæ Simplices Stillatitiæ. II. 16

Betonicæ. 17
Cardui-benedicti. 17
Ceraſorum nigrorum. 17
Chelidonii. 16
Cichorei. 16
Cochleariæ. 17
Fœniculi. 17
Florum fabarum. 17
Lavendulæ. 16
Liliorum convallium. 17
Meliſſæ. 17
Mellis. 18
Petroſelini. 17
Plantaginis. 16
Pulegii. 16
Roſarum. 17
Rutæ. 17
Salviæ. 16
Sambuci ex floribus. 17
Spermatis ranarum. 17
Spiritus vini rectificatus. 17
Tiliæ ex floribus. 17

Condîta. IV. 34

Ceraſa. 34
Cortices Arantiorum. 34
Citri. 34
Cydonia. 34
Nuces Iuglandes. 34
moſchatæ. 34
Paſſulæ laxativæ. 34
Radices Helenii. 34
Zingiberis. 34

Conservæ. IV. 35

Florum Betonicæ. 35
Borraginis. 35
Bugloſſi 35
Calendulæ. 35
Nymphææ. 35
Pæoniæ maris. 35
Roriſmarini. 35
Roſar. rubrar. 35
pallidar. 35
Salviæ. 35
Vetonicæ rubræ. 35
Violarum. 35


Her-

Herbarum Abſinthii utriuſque. 35
Meliſſæ. 35
Menthæ criſpæ. 35

ELECTUAR: SOLUTIVA. V. 37

Confectio Hamech. 37
Diacatholicôn. 38
Diaphænicôn. 39
Diaprunum ſolutivum. 40
Hiera picra. 41

ELIXIR PROPRIETAT. XIII. 106

EMPLASTRA. XII. 95

Ad Herniam. 102
Ex Cumino. 95
Defenſivum. 95
Diachalciteos. 96
Diachylôn gummatum. 97
Diapompholygos. 97
Gratia Dei. 98
Meliloti. 98
Minii. 99
Mucaginum. 99
Oxycroceum. 100
Ranar. cum Mercurio. 102
ſine Mercurio. 100
Veſicatorium. 103

MELLITA. III. 31

Diamorôn. 31
Diacaryôn. 31
Mel mercuriale. 32
Roſatum. 32
Violatum. 32
Oxymel ſcilliticum. 32

OLEA PER DELIQUIUM. X. 84.

Myrrhæ. 84

Petræ naturale. 84
Plumbi. 84
Tartari. 84

OLEA PER DESTILLATIONEM. X. 81

Aniſi. 81
Baccarum juniperi. 81
Carui. 81
Caryophyllorum. 81
Ceræ. 81
Cinamomi. 81
Corticum Arantiorum. 81
Citri. 81
Cumini. 81
Fœniculi. 81
Laterum 82
Ligni Rhodii. 81
Macis. 81
Nucis moſchatæ. 81
Origani. 81
Roriſmarini. 81
Salis. 83
Spicæ. 81
Succini. 83
Sulphuris. 83
Terebinthinæ. 83
Vitrioli. 84

OLEA PER EXPRESSIONEM. X. 75

Amygdalarum amarum 75
Dulcium. 75
Laurinum. 75
Seminis Lini. 75
Macis. 75
Nigellæ. 75
Nucis Moſchatæ. 75
Nucum Iuglandium. 75
Ovorum. 76
Palmæ. 76
Papaverinum. 76

OLEA

OLEA PER INFVSIONEM, & DECOCTIONEM. X. 76

Abſinthii. 76
Anethinum. 76
Capparum. 77
Caſtorei. 78
Chamæmelinum. 76
Crocinum. 78
Hyperici. 76
Irinum. 79
Liliorum. 76
Lumbricorum. 79
Maſtichinum. 79
Mucaginum. 80
Nepethæ. 76
Roſaceum completum. 77
Omphacinum. 77
Rutaceum. 77
Scorpionum. 77
Solatri. 77
Verbaſci. 77
Violaceum. 77
Vulpinum. 80

OPIATA. VI. 45

Philonium. 45
Requies. 45

PILULÆ. VIII. 62

Chalybeatæ. 62
Cochiæ. 62
Extracti catholici. 62
Hieræ cum agarico. 63
Laudani opiati. 63
Peſtilentiales. 64

PRÆPARANDA. XIII. 105

Aloe roſata. 105
Violata. 105
Chalcitidis toſtio pro theriaca. 108
Chalybis præparatio. 105
Coralii præparatio. 106
Cornu cervi præparatio. 106
Fœculæ Ari. 105
Bryoniæ. 105
Lapis Calaminaris præparatus. 107
Lapis Lazuli præparat. 107
Lumbrici præparati. 107
Margaritæ præparatæ. 106
Oculi Cancri præparati. 106
Opii præparatio. 108
Plumbi uſtio. 108
Spodium ex ebore. 108
Tuthiæ præparatio. 107
Vitrioli calcinatio. 108

PULVERES AROMATICI. VII. 51

Contra vermes. 55
Diacrocũ. 51
Diamargaritôn frigidus. 52
Diambræ. 52
Dianthôn. 53
Diarrhodôn. 54
Diatragacanthu frigidus. 55
Diatriôn ſantalôn. 55

PULVERES CHYMICI VII. 56

Cremor tartari. 56
Crocus metallorum. 56
Flores ſulphuris. 57
Magiſterium Coraliorũ. 57
Margaritar. 58
Oculorum cancri. 58
Mercurius ſublimatus corroſivus. 58
Dulcis. 58

Præcipitatus albus. 59
ruber. 59
Reſina Jalappæ. 60
Scammonii. 59
Saccharum Saturni. 60
Sal Abſinthii. 60
Cardui benedicti. 60
Fabarum. 60
Prunellæ. 57
Tartarum Vitriolatum. 61
Vitriolum vomitiuum. 61

PULVERES PURGANTES VII. 49

Diacarthamũ. 49
Diaturbith. 49
Hieræ. 50
Senæ. 50

ROB. III. 33

Ribeſiorum. 33

RUPTORIUM COMMUNE XIII. 108

SYRUPI. III. 24

Altheæ. 24
Cichorei cum rhabarb. 24
Cochleariæ. 25
Cydoniorum. 25
Diacodion. 26
Glycyrrhizæ. 26
Hyſſopi. 26
Iujubinus. 27
Papaveris ſimplex. 27
erratici. 27
Paſſularum laxativus. 28
Roſarum ſiccarum. 28
ſolutivus ſimpl. 29
cũ ſenâ 29
Succi Cardui benedicti 29
Succi Citri. 29
Symphyti. 30
Vetonicæ rubræ. 30
Violarum. 31

TABELLÆ. IV. 35

Manus Chriſti perlata. 35
Saccharum Altheæ. 36

TROCHISCI. IX. 67

Agaricus trochiſcatus. 67
Albi. 67
Alhandal. 68
Bechici Albi. 68
Bechici nigri. 69
Capparum. 69
Cypheos. 70
Hedychroi. 70
Myrrhæ. 71
Scillitici. 73
Terræ Lemniæ. 72
Viperini. 74

UNGUENTA. XI. 86

Ad ſcabiem cum, & ſine mercurio. 93
Ægyptiacum. 86
Agrippæ. 86
Alabaſtrinum. 87
Album caphuratum. 87
Altheæ. 88
Apoſtolorum. 88
Aureum. 89
Baſilicum. 89
Nervinum. 90
Nutritum. 90
Oculare. 90
Pomatum. 91
Populeum. 92
Roſaceum. 93

FINIS.

# STATUTA
## COLLEGII
# MEDICORVM
## HAGÆ BATAVORUM.

NUlla vitæ humanæ pars, ſive publica, ſive privata, officio carere poteſt, cùm in eo excolendo vitæ honeſtas omnis, & in negligendo turpitudo ſita ſit: Hæc res uti bonis omnibus, ſic maximè illis commendatiſſima ſit oportet, qui corporum humanorum ritè medendorum curam gerunt; eò quod manibus ſuis commiſſam habeant vitæ ſortem, inter cætera humana præſtantiſſimam.

Huic negotio animum ſeriò advertentes, qui praxin medicam Hagæ Comitis exercent, Magiſtratui Hagano ſeſe obtulerunt, ut communi bono pro virili ſuâ promovendo, ſedulò inſervirent; ſtabilito inter ſeſe collegio, initâque fraternâ & inviolabili animorum ſocietate huic ordini ac legibus (debite poſtmodum obſervandis) libentes ſeſe obſtrinxerunt.

Decus

I.

Decus artis & ſalus publica ſuprema lex eſto.

II.

Univerſa collegii cura Decano, Aſſeſſoribus duobus, & Scribæ demandata eſto.

III.

Vel Rectores hoſce, vel univerſum Collegium convocandi: deliberanda proponendi: rerum propoſitarum ſuffragia colligendi: ſententiam (exceptâ re oneroſâ) decernendi: æqualia vota duplici calculo dirimendi, jus penes Decanum eſto.

IV.

Pridie citati ſtatutâ horâ ad ædes Scribæ adſunto: ſeriùs advenientes, hoc eſt, poſt ſemihoram, ſex: abſentes duodecim aſſibus mulctantor.

V.

Singuli à Decano rogati (non ante) ſententiam ſuam dicunto: nullius ſermonem, ſine impetratâ à Decano veniâ interrumpunto: finitâ tamen conſultatione, unicuique quæ è re collegii fore cenſet, proponere liberum eſto.

Sin-

## VI.

Scriba decretis in publicum codicem referendis, ærario, reliquæque ſuppellectili aſſervandæ præeſto: receptorum expenſorumque rationem, munus depoſiturus, Rectoribus defunctis & ſuccedentibus reddito.

## VII.

Ad praxin medicam Hagæ ſe accingentes, ut nomen dent collegio, amicè invitantor: annuentes exhibito Rectoribus legitimæ promotionis diplomate, ac fide per ſubſcriptionem datâ de obſervandis legibus latis, aut poſtmodum approbante Magiſtratu ferendis, admittuntor: renuentes excluduntor, neque cum eis, nedum cum Empiricis, praxin exercere cuiquam fas eſto.

## VIII.

Quiſquis poſt bimeſtre tempus, à calendis Januariis anni milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi octavi de novo huic collegio ſubſcribere voluerit, mox quinquaginta florenos Scribæ perſolvito: ac deinde ſingulis calendis Januariis (hujus collegii natalibus) ſinguli duos imperiales conferre tenentor.

 Præ-

## IX.

Præfecturæ annuæ ſunto : Decano quotannis prior Aſſeſſor, huic ſecundus, iſti Scriba, illi ſenior Collega practicus, ſurrogator. Et ſi deſit, qui ad minimum duodecim annos Hagæ praxin exercuerit, renovato ordine à ſeniori, rurſum ad juniores deſcenditor.

## X.

Unanimi concordiæ fovendæ, invidiæ, detrectationibus, calumniis, contentionibus declinandis, ſinguli ſtudere tenentor.

## XI.

Ad ægrum alterius ope hactenus uſum, vocatus, à conſulendo ante prioris adventum (niſi neceſſitas urgeat) abſtineto ; uti & poſtmodum priori Medico citra mercedem promeritam dimiſſo.

## XII.

Pluribus in conſilium vocatis, penes familiarem, priusve vocatum, examinandi, ſententiam ex-

exponendi, & remedia adminiſtrandi, autoritas eſto.

XIII.

Conſultationes abſente ægro & amicis, cum apertâ & generali remediorum adhibitorum, & particulari adhibendorum recenſione, celebrantor.

XIV.

Contumeliam, vel injuriam Collegæ ex praxios vel hujus ſocietatis occaſione illatam, quiſque ſibi inuſtam credito, & ad ejus defenſionem obſtrictum ſe teneto.

XV.

Diſſenſionum leviorum ex Præfectorum; graviorum ex univerſi collegii arbitrio, deciſioni tempeſtivè & placidè omnes acquieſcunto.

XVI.

Leges hæ ſancitæ (niſi unanimis ſimul omnium conſenſus aliud ſuadeat) immutabiles habentor: poſtmodum ſanciendæ obſervantor: refractarii exterminantor.

Ita cenſuimus & propriis chirographis has leges ordinis ſubſignavimus ipſis Calendis Januariis Anni cIↄ. Iↄc LVIII. hujus collegii natalibus.

G. Stratenus.
G. Lieberghen.
Iohan Vroeſen.
I. van Damme.
Iohan de Blanckendael.
I. vanden Hove.
C. Stalpert vander Wiele.
P. A. Rompf.
Iacob Sena.
Abrah. de Hertogh.
P. van Wouw.
D. Lieberghen.
Iacob van Wouw.
P. P. v. Wouw.
Marcellus van Maerle.
Petrus Lansbergius.
Henrick vander Poort.
Gedeon Harvæus.
Thobias Witthakerus, M. D. & Medicus ordinarius Caroli ſecundi Magnæ Britanniæ Regis.
Iohannes Ens.

Nos

*Nos Prætor Conſules & Scabini Civitatis Hagæ-Comitis in Hollandiâ, ſupraſcripta Statuta bene perſpecta atque ritè examinata approbavimus & confirmavimus, ſicut hiſce præſentibus approbamus & confirmamus, nobis eorum interpretatione, augmentatione & derogatione reſervata : quocirca hæc communi noſtro ſigillo muniri & per Secretarium noſtrum ſignari fecimus, die viij. menſis Februarii anni xvj^c. quinquageſimi octavi.*

G. GRASWINCKEL,

*Errata, quæ inter excudendum irrepſere, ita benignè corrigantur.*

PAg. 19. lin. 20. poſt. *Deſtillentur* adde *In B. M.* pag. 20. lin. 3. ante *Deſtillentur* adde *Macerentur per triduum, deinde.* Pag. 22. lin. 2. poſt *S. A.* adde *in B. M.* Ibid. lin. 4. poſt *rubri* adde *aut potius Granorum Alkermes.* Pag. 26. lin. 7. pro *tres* lege *ſex.* Pag. 27. lin. 9. pro *Octoginta* lege *quadraginta.* Ibid. lin. 21. pro *quatuor* lege *ſex.* Pag. 28. lin. 12. pro *una* lege *media.* Pag. 29. lin. 12. pro *unam* lege *mediam.* Ibid. lin. 16. pro *Syrupus* lege *Syrupum.* Pag. 30. lin. 7. pro *manipulos duos* lege *Partes duas.* Pag. 80. lin. 17. poſt *adurantur* adde *tandem colentur & ad uſum reponatur Oleum.*

Reliqua leviora benevolus Lector boni conſulat.

XXI

Pharmacopoea Spagric

II-1-